



NOVÆ OBSERVATIONES
Circa
CRISIUM PRÆDICTIONEM
EX
PULSU
NULLO HABITO RESPECTU
AD SIGNA CRITICA
ANTIQUORUM:
Primum à
FRANCISCO SOLANO DE LUQUE
Antequeræ in *Hispania* Practico,
aliisque deinde Medicis factæ;
Novis casibus, monitisque generalibus
de Natura *Crisium*,
auctæ a
IACOBO NIHELL, Med. Doct.
Ex Anglico latine reddidit, &
Dissertationem de Natura humana
adjunxit
WILHELMUS NOORTWYK, M. D.
accedit
D. G. C. SCHELHAMMERI
P.P. prim. in Acad. Kilon. &c.
Disquisitio epistolica
de
PULSU.


πρὸς τὸ ἀντίγραφον

TRAJECTI AD RHENUM.

Apud IOANNEM PAULUM KRAUSIUM,
MDCCLIII.



PRÆFATIO
INTERPRETIS.



Ars Longa, Vita Brevis. Verissimum, notissimumque, Effatum Hippocratis, quod nemo, rerum gnarus, negat, adfirmat quivis. Sed, licet de absoluta Axiomatis illius veritate plane convicti simus omnes, ita nihilominus agimus, ac si, e diverso, Ars Brevis, Vita Longa, foret. Gravis profecto, & Humanæ Rationi omnino contrarius, Error! Artem, jam inde difficilem, ipsi etiamnum difficiliorem efficimus. Sapientiores olim Proavi uni sese Idiomati adstringebant, unaque, Scientiis dica-

ta, Lingua, si quid utile detexissent, communicabant Publico, cunctis Nationibus profuturi. At hodie Materno fere quilibet Idiomate scribit, haud aliter quam si suæ tantummodo Patriæ viveret, &, quod universo Orbi commune esse oportuerat, Bonum Exteris inviderет. Hinc nescit *Italus*, quid *Gallus* observaverit, nec *Gallis* iterum *Anglorum* Inventa prosunt; nisi, molesto opere, Linguas Alienas addiscere, ac, utilioribus sæpe Studiis relictis, ad prima denuo Litterarum Rudimenta regredi, sicque repuerascere, præoptarint. Hoc autem quam injucundum sit plurimis, vel inde patet, quod vix centesimus quisque Tædia hæc devorare valeat. Hisce Laboribus facile nos invicem possemus eximere, si ad Antiquam (quod sperare vix ausim) Universalem Linguam rediremus. Quo facto, longe melius haud dubie Humano Generi consultum foret. Innumeris Hominum Miseriis Medela petitur: sed optimi quique Medici ingeminant: QUANTUM EST, QUOD NESCIMUS! Ulterius igitur perpolienda Ars: Idque longe optime exsequemur, si omni eam extraneo liberemus Onere, &, quod jam discen-

discendis Linguis nequicquam consumendum est, tempus fructuosioribus Studiis impendamus. Communis omnium Miseria est; communem itaque contribuamus Operam; & faciles mutuo impertiamur nostra. Sic spes est, multo magis provehendam Scientiam, quam si inutili velo plurimorum, aliunde licet capacissimorum, oculis obtegatur. Memorabilis ad rem nostram in SACRIS PAGINIS † Historia legitur: Construebant Turrim BABEL; crescebat Moles, quamdiu una Lingua loquerentur Artifices; his vero multiplicatis, statim subsistit tota: manifesto indicio, quantum Linguarum Varietas Operis cujuscunque Incremento noceat. Certissimum utique Deus ipse quondam Impedimentum censuit; &, luculentissimo harum Observationum Testimonio, de eadem adhuc hodie Veritate convincimur. Eas olim ante An. 1737. SOLANUS ediderat; sed, *Hispanico* Idiomate conscriptæ, intra ejusdem Regionis limites suffocatæ sunt; donec in NIHELLII, ibidem, favente casu, degentis, manus inciderent: qui, ad breve Compendium reductas, secundo demum Præ-

 lo,

† Genes. Cap. XI.

lo, Anno 1741, tradidit. Sed quotusquisque est, cui id etiam, diu admodum, vel ipso Nomine, notum fuit? & cur? nisi quod *Anglico* Idiomate conscriptum esset? Interim Rem sane gravissimam continet, &, pro Humani Generis Salute, si quae unquam fuit, Inquisitione dignissimam. Quinque jam elapsi sunt Anni, ex quo prodiit Libellus iste. Ecquid, obsecro, tanto tempore profecimus? quotquot, aut de Opusculo hoc, aut de Re ipsa, generali solummodo Sermone, meminerunt, vel unus est, vel nemo. Tantum abest, ut aliquod adeo memorabili Negotio Incrementum accesserit. Atque ita pulcherrima saepe Inventa semisepulta latent, nec ad illam, quam caeterum acquirerent, Perfectionem unquam forte deducuntur. Felicius haud dubie successisset, si, communi Lingua, non suis tantum credidisset Auctor tanti Ponderis Negotium, sed omnium etiam Exterorum Diligentiae commendasset. Quidquid sit, merito saltem major inde Spes haberi potest. Quapropter in animum induxi, *Anglicum* hunc Libellum interpretando, Periculum facere, numquid, ea ratione, majori

jori imposterum Rei Publicæ Emolumento serviat. Qua de re nullus dubito. Multa certissime, in Opusculo hoc, fide majora deprehendet Lector: sed solidis adeo Testimoniis confirmata, ut vel hæc credenda sint, vel prorsus nihil. Judicabit quisque, an vera dixerim, postquam pervolvit totum. Nullis ego Adminiculis animos præoccupare velim. Legant Medici, examinent, concludant. Unum dixero (quod, si quam in Republica Medica fidem merui, amovendis forte præmaturis, quæ incredibilis adeo res, prima fronte, certo certius offeret, Præjudiciis servire possit), me aliqua de ejusdem rei Veritate Experientia instructum esse. Præjudicia hæc, lecto Opere, ultro quidem, ni fallor, evanescerent; haud inutile tamen, meo judicio, fuerit, iisdem, in ipso limine, aliquantulum occurrisse. Liceat, quæ observavi, paucis edicere. Vix primum de Invento *Solaniano* Rumorem subaudiveram, cum, ecce, ad Puellam Hydropicam vocor, 20 circiter Annorum Virginem. Prima, qua accederem, vice, Vesperi scil., Pulsum irregulariter Intermittere, persensi. Mixturam dedi ex Cardiacis, quæ

Constipatam hactenus Alvum nullatenus movere possent; tacite exspectaturus Eventum. Postero mane redeuntem statim rogabat Mater, numquid Mixturæ Purgantia miscuissem? Filiam etenim quater Liquidam Alvum exonerasse. Manifestissimum sane Diarrhoeæ, Intermittentem Pulsum excipientis, Testimonium. Iterum: 20ª Julii 1746, hora 10ª matutina, Ægro adfui, quem, ex Primarum Viarum Saburra, Continua Remittens Febris prehenderat. Dies Morbi 14ᵘˢ erat. Æger ipse firma Compage robustus, 25 Annorum, adsuetus laboribus. Aliquot ante diebus, ea passim præscripseram, quæ solvere, & per Alvum expellere, Saburram possent; mitiora tamen: hinc blande hactenus purgatus, foetidam, fuscam, subnigram quandoque, materiem rejecerat; semel etiam pauxillum Sanguinis permistum fuit. Eo ipso Nycthemero, quinquies adhuc similem deposuerat Alvum, fuscam sc., satisque, licet aliquanto minus, olidam. Denique, ea die (20ª Julii) explorans Pulsum, validum, & febrilem, reperi, sed, quod inprimis memorabile, satis evidenter Dicrotum. Observavi, quod mo-

monuerat NIHELLIUS *, secundum Ictum, si fortius nonnihil comprimerem, omnino evanescere; sed, si molli tantummodo digito tangerem, sensibilis denuo resurgebat. Secundus ille Ictus Primo longe minor erat, ad quamlibet Diastolen Continuus; & de Vertigine querebatur Æger. Rogavi igitur, an Narium Hæmorrhagiam passus esset? nesciebat ipse; sed, quæ adstabat, Soror, Cervicalis Indumentum, sanguineis aliquot maculis conspersum, se vidisse, testata est; quas & ego deinde conspicatus sum. Quatuor, vel quinque, erant, non magnæ, diluti Coloris. Jussi, ut attenderent, an major forte copia excerneretur. Simplicem interea, ex Aq. hord., Nitr., Rob. Ribes., & Sambuc., Mixturam exhibui, quæ Naturæ Impetum mutare nequaquam posset. Postridie, hora circiter 11ª, redeunti, nullum Sanguinem adparuisse, relatum est; sed, septies, ad minus, simili, ut supra, materie, Purgatus fuerat; & continuabatur Vertigo. Explorando Pulsum, percepi Dicrotum: Secundus Ictus, ad quamlibet, uti prius, Diastolen, sed multo validi-

* Pag. 106. in Notula.

lidior, Primoque fere æqualis, aderat; & hunc ille excipiebat subito. Iteravi Mixturam. Sequenti mane, 22ª sc., septies iterum, prægresso nycthemero, Alvum evacuasse, indicarunt; sed meliori materie: Febris imminuta plurimum, nitidior Lingua, sanum fere Lotium, Vertigo nulla, & Secundus Ictus vix sensibilis, adparuerunt. Petii, numquid Sanguinem percepisset? Decem circiter Guttas e Naso dimiserat. Abinde, neque ullus amplius Pulsus Dicrotus, neque ulla Hæmorrhagia, prodiit. Constat igitur, aliquem, Pulsum Dicrotum inter ac Hæmorrhagiam, Nexum dari; in præcedenti Casu, licet totus Impetus deorsum ruere videretur, certissime nihilominus observatum. De Pulsu Inciduo, fateor, nihil etiamnum, propria Experientia, edoctus sum, sed Amicus quidam, fide dignissimus, sequentem Casum obtulit. Initio Decembris 1745, *Leidensis* Civis meum imploravit auxilium. Post meridiem accedenti narrabat, ter se Intermittente Tertiana Febre laborasse, jamque, ob incredibilem Anxietatem, nescire, quid ageret. Observavi Pulsum, qui valde Irregularis videbatur: sed,

ſed, magis magisque attentus, perfecte (ut SOLANUS vocat) Inciduum deprehendi. Sex, ſeptemque, Pulſationibus increſcebat regulariter; ſtatimque iterum, a ſeptima vel octava exorſus, novam Periodum inchoabat: ſicque, iisdem plane Periodis, continuabatur inpoſterum. Horà ſeptima rediens, inveni Pulſum, diſtinctius adhuc, fortiusque, easdem Periodos decurrentem. Certior hinc, futuræ per Sudores Criſis ſpe, ſuaſi, ut nulla Medicamina, Naturam forte turbatura, adſumeret; Calidum ſolummodo ſervaret Corpus; & Lac ebutyratum, cum Hordeo mundato coctum, cœnaret, uti propoſuerat. Hora decima, eadem Veſperi, tertia jam vice, reverſus ſum; Pulſumque Inciduum, prægreſſis ſimilem, ſed multo etiamnum diſtinctiorem, reperi. Quarto nunc Tertianæ Paroxyſmo adficiebatur, leniori tamen (nec, in univerſum, valida etiam ante Febris fuerat). Ex omnibus his, ipſum, inſtanti nocte, admodum Sudaturum, præſagii. Sequenti mane, ſe totum fere profuſiſſimis Sudoribus ea nocte diffluxiſſe, retulit; Anxietatem autem integre fere evanuiſſe. Æqualem Pulſum, & Naturalem, ob-

obſervavi. Dies hic Intercalaris erat, & perfecte intermittebat Febris. Poſt meridiem redii, ſed nihil Incidui Pulſus adparuit. Horâ circiter quinta, iterum viſitavi Ægrum; jamque denuò Pulſum Inciduum detexi; qui, hora ſeptima, increverat, & diſtinctior longe, hora decima, ſentiebatur; minori tamen vi, quam præcedenti die, feriebat digitum. Novum inde, ſed minorem, ea nocte proditurum Sudorem annuntiavi. Sequenti manè, omnia, ut dixeram, contigiſſe, teſtatus eſt. Diſparuerat Pulſus Inciduus, Morbusque, ea Criſi, omnino Judicatus videbatur. Poſt meridiem nihilominus Ægro adhuc ſemel adfui: ſed, bene ſe valere, dixit, & pro Cura grates reddere. In alio præterea Febricitante Ægro Pulſum Inciduum obſervavi; ſed unica tantùm vice: huncque etiam Sudor Criticus ſequebatur. Accuratiſſima ſane Obſervatio! eaque inprimis Novitate memorabilis, quod, cum SOLANUS nunquam ultra quatuor Increſcentes Ictus animadverterit †, hic tamen ſex, ſeptemque, ſimiles ſucceſſivi Ictus ſingulas quasque Periodos abſolverent. Patet igitur, haud

† Pag. 8.

haud imaginarium esse SOLANIANUM illum, inter prædictos Pulsus & relativas eorumdem Crises, Nexum; sed revera subsistere; caute tamen, &, a gnaro Medico, legitime distinguendum: etenim, Pulsus tales non semper ejusmodi Crises denotare posse, attentior quivis statim percipit. Ex. gr. Quadraginta circiter Annorum Vir, post Peripneumoniam, in Phthisin Pulmonalem incidit: unde, assidua Tussi, vehementer concutitur; tandemque in Dorso acquirit Tuberculum, quod sensim in insignem Gibbum augetur, cui admota manus Pulsum, Carpi Pulsui perfecte synchronum, deprehendit. Manifestum ergo Aneurysma. Diu, multumque, tortus, infelix Æger subita denique Hæmoptoë suffocatur. Hæc ex Relatione D. TRONCHIN, aliorumque, qui viventem sæpe examinaverant, habeo. Sed Cadaveris Dissectioni, cum DD. TRONCHIN, VAN LEENT, aliisque Med[is]. Doctoribus, & Chirurgo BOOM, ipse præsens interfui. Gibbus erat ingens, æquabilis, à sinistra Scapula, per Dorsum, ad Lumbos usque, exporrectus, mollis, elasticus. Supertensa Cutis

tis colorem naturalem servaverat: in medio solummodo Gibbi Vesicula cernebatur, Gangrænosa quasi, exigua; qua erupta, parum Liquoris effluxit, quod eadem seorsum conclusum fuerat: ex Gibbo enim nihil prodiit. Inciso Thorace, inveniebatur Pulmo, arctissime ubique accretus, Pleuræ, Pericardio, Diaphragmati, &c. Aperto Pericardio, Cor, erecta sursum basi, apice perpendiculariter Diaphragmati insistebat; satis cæterum Naturale. Prudenter separato Pulmone, in sinistro latere Aorta adparuit, in amplitudinem Vesicæ Urinariæ majoris inflatæ expansa, totaque hac mole intra Pectus adsurgens. Substantia hujus, in universum loquendo, nec crassior naturali evaserat, nec gracilior; sed in ejusdem tunicis passim, Scirrhosa quasi, tubercula sentiebantur. Saccus ille hinc inde inæquabiliter nonnihil collapsus erat; incipiebatque mox sub Arcu Aortæ, cum Cordis basi elevatæ; & continuus ad Diaphragma usque protendebatur. Aperta hæc, adeo enormiter dilatata, Aorta coagulato Cruore copiosissimo plena erat; purgata autem, tota postica parte, per

am-

ambitum, Zona crassiore Dorso firmissime concreta conspiciebatur, ita ut nulli hic Extravasationi locus foret. In Aortæ fundo, Costæ Cariosæ, & fragiles, imo &, proximæ his, Corporum Vertebrarum partes Cariosæ occurrerunt. Sed, quod inprimis stupendum, Tribus Amplis Hiatibus, 1°. inter 6^{am}. & 7^{am}., 2°. inter 7^{am}. & 8^{am}., 3°. inter 8^{am}. & 9^{am}., Costam, perforata Aorta cum Gibbo, simili coagulato Cruore repleto, communicabat: ita ut totus Gibbus nihil esset nisi coagulatus Cruor, intra Cavum hoc Accessorium conclusus, quod Cute, a naturali habitu vix mutata, circumscribebatur: sed Margo Gibbi, qua is Dorsum tangeret, interius, Substantiam monstrabat, fungosam, rubellam, subcartilagineam, satis crassam, cujus ope, per universum ambitum, Cutis adeo firmiter Dorso coaluerat, ut, prodigioso Naturæ Artificio, Sanguinem & hic coërcere potuerit, ne ultra Gibbum diffflueret. Substantia hæc Tunica Adiposa videbatur, ea ratione mutata; quæ Gibbi Cutem Dorso firmiter adstringebat; Cute cæterum, ibidem etiam loci,

sanis

sanissima. Musculi ubique, una cum Cute, elevati erant; sed extenuati admodum; quin & hinc inde, deleti quasi, vix reliquerant vestigium. Ecquis miraretur, obsecro, si, in ejusmodi Casu, Intermitteret Pulsus? nec ullus, credo, futuram inde Diarrhœam concluderet. Hæ certe, aliæque, nimis generalium Regularum Exceptiones sunt; minime tamen ipsam Rerum Veritatem destruunt. Sed abunde in his exspatiatus est NIHELLIUS. Desistam igitur: &, tribus modo verbis, quod restat, expediam. Auctoris Verba, quam potui, proxime, Interpretando, secutus sum: subinde tamen, relicta Litera, expressi Sensum. Hoc ipsa Linguarum Diversitas non suasit modo, sed coëgit. Durus cæterum, nauseosus, vixque intelligendus, sæpe evasisset Sermo; ne jam quidem, fateor, satis commodus, attamen nonnihil tolerabilior. Sentiet, qui susceperit, quanti constet, ejusmodi Libros Latine reddere. Si quam, tædioso Opere, apud te, Lector, Gratiam meruisse, videar; si majori inposterum Rei Publicæ emolumento Successus respondeat; Gaudebo. Primarius

uti-

utique mihi Scopus fuit, Humani Generis Saluti consulere; quæ si unquam promoveri poterit, hujusmodi certe Inventis promovendam, legitima, maximaque, Spes est. Vale, Lector, tuque, pari, quo a me offertur, animo, accipe.



P. S. Una de re monere te prætermiseram, Lector. Operosum in Libelli Calce *Indicem* deprehendes, multo labore ac studio a D°. H. DE BOSCH, *Medicinæ Doctore*, sollicitissimè concinnatum, eo certe, qui in Editione Anglica reperitur, longè accuratiorem. Huic igitur soli ea de re & Laudem reddere convenit & Grates.



DOCTORI MEAD

Regis Medico.

VIR CELEBERRIME!



Quemadmodum sententia tua de emolumento, quod ex secuturis Observationibus in Medicinam, humanumque genus, redundare

 possit

possit, stimulus est maxime honorificus, qui me incitare valeat, ut eas Publico communicem, sic, quod hic iisdem nominis tui pignore adjici concedis pondus, efficacissima præparatio est, ut Opus hoc ab Erudito Orbe sine præjudicio recipiatur.

Nosti, Domine, *hoc, quod tracto, subjectum, primo intuitu, maxime forte omnium, quæ hac ætate in Publicum prodierunt, objectionibus expositum esse. Revocare ex tenebris diu neglectam, & oblivioni fere traditam, Crisium observationem, pro molimine antiqua & explosa præjudicia resuscitandi facile traduci poterit. Novas circa Pulsum Observationes proponere, negotium, quod mul-*

multorum adhuc viventium Medicorum memoria ultra omnem modum & comprehensionem mile intricatis subtilitatibus, antiquis & modernis, exteris atque domesticis, oneratum fuit, non improbabiliter chymæricum & absurdum videbitur: sed inprimis Crisium prædictionem suscipere via tam insolita, & inopinata, Pulsu scilicet, maxima verisimilitudine, adfectata singularitas existimari poterit, & hypothesis arbitraria. Adeo periculosum est Auctoris molimen, cujus primarium subjectum rebus stipatum est, quæ diu in vituperationem ceciderunt! Hæ, ad primam etiam mentionem, statim occurrunt menti sub contemptibili obsoletorum errorum idea, noxiam in reliquum subjectum spargunt umbram, totumque una communi

inutilitatis accusatione involvunt. Hujusmodi præjudicium generaliter omne ulterius examen circa intentionem Auctoris executionemve præcludit, Opusque nondum lectum neglectui & oblivioni damnat.

His, aliisque similibus, difficultatibus secuturæ Observationes probabiliter submergerentur, simul atque apparerent, nisi auctoritas quædam, tanti in Medicina momenti, ac tua, impetuosum Criticum ad pacatiorem mentem revocaret, eique attentionem persuaderet ad facta, quæ propono.

Opus,

Opus, quod & novum & utile judicatum est a Viro tam eminenti eruditione, tam annosa experientia, instructo, mox quandam dignitatis speciem acquirit, omni de levitate ejus præconceptæ opinioni superiorem, & in objectum maxime seriæ attentionis evadit. Haud ergo adulatio fuerit, agnoscere, quodcunque, ab hoc Opere, Publico accessurum sit emolumentum, id magna ex parte tibi adscribendum fore.


Sic, arte salutari a te ipso, prospero successu, exculta, alios etiam ad ejusdem profectum excitando, nobilissimum magnæ, quam obtinuisti, famæ usum facis.

 Patere,


Patere, Celeberrime Vir, *ut vere tester, esse me omni reverentia eximiis adeo dotibus debita*

Humillimum tuum, & obsequiosissimum servum,

JACOBUM NIHELL.



PRÆFATIO.



Momentum sequentis Operis in duabus præcipue rebus consistit, videlicet in novitate, & in veritate, factorum, quæ continet. Facta hæc & nova & rara esse, facile ab unoquoque Lectore agnoscetur, qui ea, quæ hactenus de Pulsibus, respectu Crisium, scripta sunt, haud

ignorat. Non igitur insumam tempus probando id, quod certus sum in lectione hujus Operis a nemine negandum esse. Sed alterum, factorum nempe veritas, delicatioris magisque dubiæ naturæ est, & sinistræ, quæ semper ea proportione, qua novum & mirabile subjectum est, in mente nascitur, suspicioni expositum. Summa igitur ratione exspectari potest, ut illud hic, quantum fieri potest, solidissime pertractetur. Historiæ Crisium per sudores, diarrhœas, & hæmorrhagias, unice per Pulsum, quædam tribus, quædam quatuor diebus, antequam contingerent, prædictarum, nisi additis documentis sustententur, inventa veluti fabulosa, aut ridiculæ incantamentorum narratiunculæ,

læ, videri debent. Ut vero tam naturales, tam legitimæ, suspiciones adhibitæ in hujusmodi casu fraudis removeantur, necessarium evadit, erudito Orbi significare, qua auctoritate ac fide illa, quæ præsentis Operis molem efficiunt, facta Publico offerantur: hocque optime ex sequenti relatione apparebit.

Anno 1737, Opus a FRANCISCO SOLANO DE LUQUE, Medicinæ Doctore, *de prædictione crisium ex Pulsu*, sub titulo *Lapidis Lydii Apollinis*, Hispanico idiomate conscriptum, a Domino *Petro Roxo*, membro honorario Academiæ Medicæ *Madritensis*, & Nosocomii Sti. *Joannis de Dios Gadibus* Medico, mihi tradebatur, quo

quo tempore *Anglico* ejusdem urbis Commercio Medicam opem præstabam. Narrabat mihi, aliqua sese experientia de *Solaniani* inventi veritate instructum esse, & de ignava conterraneorum suorum insensilitate conquerebatur, qui tanti ponderis negotium, tam novum, tamque validis factorum testimoniis stabilitum, quale ipsi istud, quod memoratus Doctor proposuerat, videbatur, omnino negligerent.

Novitate & momento Subjecti perculsus, plus quam vulgari diligentia librum lego. Auctoris Observationes summam mihi admirationem pariunt, talesque videntur, quales amicus meus repræsentaverat. Totum negotium

tium maximo candore propoſitum invenio, nova ſigna critica planiſſime deſcripta, nexum inter hæc & relativas eorum criſes ſtabilitum per facta, facta ipſa teſtimoniis confirmata perſonarum maxime honorabilium illius civitatis, in qua contigerant, Medicorum præcipue, Auctoris noſtri æmulorum in Praxi, quos impoſſibile erat, de qualicunque in ejus favorem colluſione habere ſuſpectos; *colluſione* ſcil. contra naturam, quæ famam ejus ac fortunam in proprium ipſorum detrimentum per apertum mendacium atque impoſturam adaugeret. Poſtquam Auctor noſter Lectores ſuos examinandæ factorum, quæ adlegat, veritati, materiæque ad propriæ experientiæ lancem ponderandæ, hoc mo-

modo aptos reddidit, eosdem serio ad utrumque hoc examen invitat. Concipi non poterat, tot omnium ordinum, quot ipse nominabat, testes in simplici materia Facti decipi potuisse, nec etiam ausisse ipsum, publice eorum auctoritate abuti, ut fictitiam quandam hypothesin exornaret. Itaque *Solani* Observationes omnibus candoris, ac publicæ fidei, quæ optari possent, conditionibus instructæ videbantur. Nihilominus ut in tanti momenti negotio ne minimo quidem dubio locus foret, *Antequeram* petere decrevi, quæ civitas trium modo dierum itinere *Gadibus* distabat, ut factorum ejus veritatem examinarem coram, sique talia, qualia ipse repræsentaverat, deprehenderentur, penitissimam

mam in nova ejus arte prædicendi Crises, sub ipsius auspiciis, mihimet experientiam compararem. Magna me humanitate recipiebat, cunctasque, quas desiderare poteram, opportunitates procurabat, libere circa prægressas ejus Observationes inquirendi, videndique illas, quæ eo, quo *Antequeræ* morabar, tempore, duorum nempe mensium spatio, occurrerunt. Hoc intervallo cum omnis fere conditionis hominibus, quos ipse in libro suo factorum testes nominaverat, frequenter conversabar. Inter hos varii erant primi ordinis ac characteris Viri, qui omnes, nullo excepto, casus, in quibus eorum mentio facta fuerat, confirmarunt. Maxima parte etiamnum in vivis erant, paratique jureju-

ran-

rando atteſtari dicta. Generalis hic & uniformis omnium ordinum, præſertim Medicorum, conſenſus in teſtimonium factorum illorum (rei, in qua nulla illuſio eſſe poterat) ſummus auctoritatis & fidei gradus eſt, quem rerum hujusmodi indoles admittit, & convincens evidentia videbitur, dum variæ ejus Obſervationes in ſequentibus paginis perlegentur.

Si quæ inſuper ad perſuaſionem conditiones requirerentur, invenientur hæ in factis ſimilibus, poſt *Solani* Obſervationes, ab aliis Medicis, me ipſo, imo & quibusdam Auctoris familiaribus, adnotatis, qui, licet in Medicina hospites, attamen ſufficientem ex *Lapide Lydio* ſupra dicto rei hujus

jus cognitionem acquisiverant, ut Observationes aliquot satis feliciter concinnarent, uti in decursu præsentis Operis *Parte* 1ª. *Sect*. 2. *cap*. 3. *Observ*. 6. adparebit. Ipse ego plerisque Dominorum istorum, quos hic respicio, familiaris fui; certusque sum, nullam illis rationem fuisse, ut facta supposititia Orbi obtruderent; quin & adfirmare audeo, quod nulla illis, quos intime novi, caussa sufficere potuisset, ut ad vilem adeo imposturam seducerentur. Novi aliquos, qui cæco contra *Solani* Observationes præjudicio occupati, talia ne quidem facta animadvertebant, quæ ipsismet hac methodo occurrerent, donec post manifestam quorundam casuum evidentiam eosdem negligentiæ suæ puderet, tandemque

mera experientiæ vi convincerentur. Peculiarem de me ipſo mentionem prætermittam, ſed ex modo, quo univerſum ſubjectum tracto, Lectori de candore meo relinquam judicium; conſcius enim ſum, unicam hanc, meo reſpectu, eſſe poſſe, ac fore, judicii ejus regulam.

Quantumvis jamjam memorata facta, ea ſcil. quæ *Solani* Obſervationibus poſteriora ſunt, ultra omnem præjudicii ac cavillationis poteſtatem convincentia invenientur, minus tamen delectamentum, minorem admirationem, pariunt, ac illa, quæ ante ipſum fortuito obſervata ſunt, dum ne vel minima adhuc rei hujus ſuſpicio, nulla imaginationis ex novitate inclinatio, aderat, dum-

dumque igitur facta ipsa, mera propriæ suæ evidentiæ vi, præjudicia temporum, & Observatorum incuriam, perrumpere debuerunt. Facile concipitur, quam paucæ ejusmodi Observationes exspectari possint. Nihilominus rarissimam unam in *Prosperi Alpini* scriptis conservare, Providentiæ placuit; factum, quod post Auctoris hujus ætatem in Adversariis Medicis obscurum mansit, & universæ Facultati impenetrabile, mysterium; jam vero ope luminis ab Observationibus *Solanianis* recepti elucidatur, & manifestum in hujus favorem testimonium evadit, ut in Operis conclusione apparebit. Neque tamen unica istius generis est ista *Prosperi Alpini* Observatio, alteram *Wierus* suppeditat, quæ & ipsa

ipſa loco proxime memorato enarrabitur.

Hæc eſt Evidentia, qua Facta, in hoc Opere, Publico oblata ſuſtinentur; & ſane raro in favorem quarumcunque hactenus in Medicina divulgatarum Obſervationum tam multæ, tam ſolidæ, demonſtrationes concurrerunt.

Præter Facta ſua, Leges quasdam pro prædictione Criſium ex Pulſu erudito Orbi communicavit *Solanus*: *Leges*, quas ex longa Obſervationum circa hoc negotium collectarum ſerie deduxerat. Verum hæ longe alia ratione conſiderandæ ſunt, ac Facta. Nihil familiarius eſt, quam erronea ex veriſſimis datis concluſio. In hanc erroris ſpeciem delapſus eſt

eſt Auctor, urgendo rem, legesque ſuas libere nimis & univerſaliter conſtruendo, quemadmodum ego *in ſecunda hujus Operis parte* propria experientia demonſtrabo, & ſolers quivis Medicus in prima ejus circa intermittentem Pulſum generali regula immediate percipiet.

Attamen talis error præcipue in Auctore noſtro excuſari poterat, cujus eruditio in Medicina, & Philoſophiæ Naturalis cognitio, pro infelici in ipſius patria doctrinæ ſtatu, nimis infirma erat, profundas illas & validiſſimas impreſſiones ſuſtinendo, quas ingens novorum rariſſimorumque Factorum numerus in ejusdem imaginatione excitaverat. Monitum hoc neceſſarium duxi, ut

omni præmaturæ exceptioni, quæ contra Opus hoc, respectu errorum quorundam palpabilium, qui in statutis de Crisium prædictione legibus sese offerunt, in universum adduci posset, occurrerem. Speroque, fore ut Lectori placeat, suum eatenus judicium suspendere, donec viderit, qua evidentia materiam hanc *in* IIª. *hujus Operis parte* disposuerim, eo magis, quod, priusquam facta legerit, legitimus in hoc casu judex esse nequeat.

Quando obitus Doctoris *Roxo*, amici mei, qui integram mihi in Nosocomio *Gadensi* Sti. *Joannis de Dios*, quascunque vellem, Observationes faciendi libertatem concesserat, brevique post secutum iter, una cum aliis non-

nonnullis impedimentis, duobus hisce proxime elapsis annis omnes mearum juxta *Solani* methodum Observationum ulteriores progressus inhibuerant, earundem editionem differre maluissem, donec magis Demonstrativae evaderent, nisi sequentes circumstantiae dilationem istam dissuasissent: prima est exiguum emolumentum, quod ab illis exspectari potest, quae circa hanc materiem Publico tradidit *Solanus* in *Lapide suo Lydio*, qui crassum ac taediosum volumen *in folio* constituit, ubi primarium Subjectum immenso inutilium digressionum, dissertationum, orationumque, in perplexum ratiociniorum ac factorum labyrinthum confusarum, numero suffocatum est. Etenim is, quamvis diligens

Observator, educationis suae infortunio, communi patriae suae vitio, ad methodice scribendum omnino ineptus erat. †

Secunda circumstantia est ipsius obitus, qui brevi, postquam *Antequeræ* valedixeram, accidit, dum mea persuasione correctam & succinctam Observationum suarum editionem praepararet; quae ita, una cum variis eximiis factis, ipsius aliorumque perspicacia de novo observatis, penitus perierunt. Tertia est *Hispanorum* Medicorum neglectus & incuria, qui, licet ad accuratam Inventi Sola-

† Revera anno 1737. ab *Emanuele Gutierrez de Los Rios* M. D. cum auctoris consensu editum fuerat in majoris formæ 12. *Lapidis Lydii compendium*, sed judicio carens editor tunc etiam ex authographo tantum supra memoratæ farraginis transscripserat, quantum in volumen adeo angustum cogi posset, additis ex *Helmontiana* Philosophia mille ineptiis.

Solaniani perquisitionem, cum *Antequeræ* degerem, excitati, idem, simul atque Auctor exspiraverat (neque enim ultra jam applicabatur aemulationis stimulus,) ne minima quidem ulterioris inde auxilii relicta spe, dereliquerunt. Itaque totum gravissimi hujus negotii pondus integre ad me devolvitur. Proprii autem fati incertus, imprudentissimum fore existimavi, eorum, quae de hac materie servaveram, editionem differre, sub dubia spe, perfectiores istis, quas jam inde feceram, Observationes imposterum communicandi; eo magis, quod ex amplitudine & diversitate Subjecti, difficultatibusque, in praesenti Praxis statu nitidae & exquisitae Observationi repugnantibus, convictus sim, rem

hanc unius hominis diligentiam longè excedere. Quapropter Collegarum meorum in ea pervestigatione auxilium tempestive provoco. Fateor, ad laboriosum ipsos pensum, & subtilem rerum indaginem, sollicito: verum ita demum *Angli* Medici erunt, quorum felix ad artis profectum applicatio per universam *Europam* abunde innotuit.

Ut rei hujus examen curiosis facilitetur, ab omnium circumstantiarum, circa Pulsus criticos *Solani*, & significatas per dictos Pulsus Crises, hactenus observatarum, succincta descriptione sequens Opus incipio. Proxime procedo ad particularia exempla Facti, quibus Observationum ejus veritas evincitur.

Sic-

Sicque *in prima Operis parte* illo præcise statu, quo, cum proprias meas Observationes inchoarem, inveni, totum propono negotium.

Secunda Pars proprias meas Observationes continet, easque, quæ mihi ab amicis fuerunt communicatæ; omnes candide relatas; una cum talibus correctionibus, animadversionibusque, quæ circa *Solanianas* de Crisium prædictione regulas, materiam Facti hactenus observatam, & totius finem usumque, necessariæ videbantur.

Si forte leves quasdam in Factis per alios relatis incurias observaverit Lector, considerare velit, quod illa ego in privatum primo emo-

emolumentum collegerim, absque ulla intentione eadem publicandi; etenim *Solano*, ut novam & correctam ſuarum circa hoc Subjectum Obſervationum editionem curaret, perſuaſeram.

Poſt hujus obitum nullum, niſi ex ipſius Manuſcripto, adæquatam inſtructionem recipere poteram, quod mihi, licet emere vellem, negatum fuit. Attamen illæ, quas hic reſpicio, incuriæ non ſunt magni momenti.

Quousque numerus Obſervationum, quas in confirmationem rei novæ æque ac ſtupendæ neceſſarium duxi producere, permittere poterat, Factorum ſimilitudinem evitavi. Itaque ex omnibus illis, quæ in chartis habeo.

beo, ſelegi talia, quæ, peculiarium ſuarum circumſtantiarum reſpectu, minimam inter ſe invicem ſimilitudinem gererent; ſed, quantamcunque adhibuerim curam, in quadraginta ſex circa idem generale Subjectum datis Obſervationibus incommodum hoc integre vitari non potuit. Sed nec etiam in ſeveræ veritatis Opere luxuriantis illius varietatis blandimenta requiret Lector, quæ non reſtricta fictionis libertas admitteret.

Exſpectabunt forſitan Lectorum aliqui, fore, ut in hoc Opere de celebrata adeo *Sinenſium* in explorandis Pulſibus arte mentionem faciam. Verum, etiamſi mira admodum de famoſis his Aſiaticis tam ſcripta quam narrata

ta fuerint, modernusque etiam Auctor in iisdem explicandis ac sustinendis plurimum laboris impenderit *, cuicunque ea tantum perlegere placuerit, quæ de hoc Subjecto ex optimis *Sinensium* Medicorum Autographis in *Sinarum historia*, nuper a *Patre du Halde* edita, reperiuntur, ille quidem, quod tam ineptas nugas, crassasque absurditates, quales ibi relatæ sunt, silentio prætermiserim, facile condonabit.

Tandem, ut satisfiat talibus, qui ex præsenti Praxis statu contra qualemcunque Crisium Observationem exceptiones formare volent; peculiare de hoc Subjecto Caput addidi, quod, spero, per-


* *In the Physicians Pulsewatch.*

perleget Lector, antequam ex vulgo receptis Crisium notionibus absolutum aliquod de sequenti Opere judicium statuat. Ausim promittere, quod & hoc, & reliqua, absque ullo partium studio, ea brevitate, iis in ratiocinando cautelis, pertractata inveniet, quæ Auctorem, tam privato suo judicio diffidentem, quam debitæ Publico reverentiæ gnarum, decent.

NB. Auctor se devinctum sentiet Medicis, qui Facta quædam ad præsens Opus relativa ipsi communicare haud dedignabuntur. Adsignanda erunt Auctoris nomine *to the Grecian Coffeehouse in*

De-

De-vereux-court, Londini. Eadem cum hisce æquitate aget, quam nunc, ſequentium Dominorum reſpectu, obſervatam vident.



CA-

CATALOGUS MEDICORUM,

Qui SOLANI *Obser-vationes propria experientia confirmarunt, & illustrarunt.*

Don Francisco Thomas de Zayas, *Regiæ Catholicæ Majestatis Familiæ Medicus, dum vi-veret, honorarius.*
Don Antonio Alvarez.
Don Miguel de Porras.
Don Joseph Vincente Gomez.
Omnes Antequeræ *Medici.*

Don Francisco Garcia, Mallen de Navarette, *Capituli Ecclesiæ Cathedralis* Gadensis, *dum vi-veret, Medicus.*
Don Pedro Roxo, Gadibus *quondam Medicus Nosocomii* S[ti]. Joannis de Dios, *& membrum honorarium Academiæ Medicæ* Madritensis.

Don Raphaël de Fuentes.
Don Nicolas Rexano.
Malagenses *Medici.*

Don Pedro Castan, Casæ Vermejæ *Medicus.*

N. N. Medicus Loxensis, *cujus nomen in memoriam revocare nequeo.*

Don Christoval Solano de Luque, *Doctoris* Solani *filius, Medicinæ Studiosus.*

Don Juan de Pedraza y Castilla, *Philosophiæ & Medicinæ Baccalaureus.*

TABULA CONTENTORUM.

PARS I.

SOLANIANAS Crisium ex Pulsu prognoses continens, una cum variis factis, per quæ Observationum eius veritas in universum adseritur.

SECTIO I.

Nova signa & leges pro variarum Crisium prædictione ex Pulsu, juxta SOLANUM.

CAPUT I.

Signa & leges pro prædictione Hæmorrhagiæ criticæ per nasum. pag. 1

CAPUT II.

Signa & leges pro prædictione Diarrhœæ criticæ, junctæque huic Crisis per Vomitum vel per Urinam. 6

CAPUT III.

Signa & leges pro prædictione Sudoris critici. 9

CAPUT IV.

Generales quædam animadversiones circa supra dicta Signa & Crises. 12

SECTIO II.

Continens varia facta, quibus Observationum SOLANIANARUM veritas circa prædictionem Crisium ex Pulsu in universum evincitur. 17

CAPUT I.

Exempla prædictionis Hæmorrhagiarum criticarum per nasum. 20

CAPUT II.

Exempla prædictionis Diarrhœarum criticarum. 30

CA-

CAPUT III.

Exempla prædictionis Sudorum criticorum. 40

CAPUT IV.

Exemplum prædictionis Icteri critici. 49

CAPUT V.

Exempla similium Observationum ex ANTIQUIS. 52

PARS II.

Varias novas circa idem Subjectum Observationes continens, una cum animadversionibus in SOLANI NAS prædictionis leges, & monitis quibusdam generalibus de natura Crisium, earumque apud ANTIQUOS consideratione, & apud MODERNOS neglectu.

SECTIO I.

Productum propriarum mearum Observationum circa nexum a SOLANO observatum inter ante memoratos Pulsus & Crises.

CAPUT I.

Productum propriarum mearum Observationum circa Pulsum dicrotum. 65

CAPUT II.

Productum propriarum mearum Observationum circa Pulsum intermittentem. 69

CAPUT III.

Generales animadversiones circa totum Subjectum. 71

CAPUT IV.

Monita quædam generalia de natura Crisium, earumque apud ANTIQUOS con-

consideratione, & apud MODERNOS neglectu. 91

SECTIO II.

Continens exempla quædam peculiaria ex propriis meis Observationibus circa supra memoratos Pulsus & Crises, cum variis selectis casibus mihi per amicos communicatis.

CAPUT I.

Novæ Observationes circa Pulsum dicrotum. 130


CAPUT II.

Novæ Observationes circa Pulsum intermittentem. 158

XXXVIII Additum est singulare Caput, primi ortus Observationum SOLANIANARUM brevem historiam exhibens. 173



LE-



LECTORI.

Chartarum mearum aliquas pervolvendo, occurrit Diarium Thermometricum, quod *Gadibus* paravi. Oblectamento cuidam, vel & usui, esse posse, arbitratus sum, si, hoc loco, variam Caloris ac Frigoris, in illa Civitate per integrum Annum observati, successionem Publico communicarem; eo magis, quod Thermometra, quibus usus sum, FARENHEITIANA fuerint, tam æqualia inter se, & tam communia, ut instituta cum iisdem experimenta ad

generalem quandam regulam reduci, ſibique mutuo ſatis facile & accurate comparari, queant.

Factæ ſunt Obſervationes iſtæ in umbra Cubiculi, radiis ſolaribus nec expoſiti multum, nec ſubtracti; adeoque Aëris, quem Incolæ *Gadenſes* in univerſum intra tecta ſua reſpirant, naturalem Temperiem ſignificant. Sed & animadvertendum eſt, ut erroneæ earundem ad alia loca applicationes evitentur, Aërem *Gadibus*, æſtate æque ac hyeme, omnium forte *Andaluſiæ* Civitatum temperatiſſimum occurrere.

Juxta exactiſſimas Obſervationes, quas, ſub jamjam memoratis conditionibus, triennii ſpatio inſtituere potui, calor & frigus inter gradum 49 & 81, primum frigoris, alterum caloris, extremum, per Anni circuitum decurrebant.

A fine

A ſine Novembris, ad Aprilem usque Thermometrum raro ſupra gradum 60um. adſcendit.

Decembri, Januario, & Februario, in univerſum ſub 56°. manſit.

A ſine Martii, usque ad medium circiter Junii, plerumque inter 60 & 70 indicavit.

A medio circiter Junii, usque ad ſinem fere Septembris, utplurimum inter 70 & 76 perſtitit; a 72 ad 75 conſuetus erat limes: raro ſubſidebat ad 70, aut ad 78 elevabatur; licet ſemel, poſt Ventorum inconſtantiam, Auguſto Menſe, ad 64 ſubſediſſe, iterumque ad 81 adſcendiſſe, obſervaverim: hique extremi ſunt Termini, quos ibidem æſtatis tempore animadverti.

Ab umbra in meo Cubiculo, ad umbram in Aëre aperto, calido, circiter 4 & 6 graduum differentiam obſervavi.

A pleno calore Solis, Menſe Julio, ad Aërem apertum frigidiuſculum ſequentis noctis, 15 graduum.

A fine circiter Septembris, usque ad finem Octobris, in univerſum inter 70 ac 60, & Menſe Novembri inter 66 & 58, ſubſtitit.

In Circumſtantiis ſupra memoratis, & conſueto Cœli ſtatu, vix aliquam differentiam inter diei ac noctis calorem deprehendere potui.



PARS PRIMA,

SOLANIANAS

CRISIUM EX PULSU

PROGNOSES

Continens,

Una cum variis FACTIS,

Per Quæ

OBSERVATIONUM ejus veritas in universum evincitur.

Sed & accuratissime est observandus Pulsus; quatenus est Index Materiæ Morbosæ movendæ, motæ, excretioni paratæ, & jam incipientis secerni: nam ibi demonstrat egregie tempus agendo aptum præter cætera.

BOERHAVE Institut. N°. 970.



SECTIO I.

Nova Signa & Leges pro variarum Crisium prædictione ex Pulsu, juxta Doctorem FRANCISCUM SOLANUM de LUQUE.

CAPUT I.

Signa & Leges pro prædictione Hæmorrhagiæ Criticæ per Nasum.

I.

Pulsus Dicrotus *ANTIQUORUM*, qui (*LATINIS Pulsus bis feriens*) *ANGLIS* proprie *The Rebounding Pulse* vocari potest, certum indicium est futuræ Hæmorrhagiæ Criticæ per Nasum *.

II.

* Non incongruum fuerit, hic adnotasse, proximum huic Propositioni, quod unquam mihi occurrit, Monitum esse sequentem locum in *Sir John Floyer's Pulsewatch, Vol.* 1. *p.* 138. *Pulsus undosus*

II.

Si Pulſus Dicrotus ad, vel circa, trigeſimum quemque Pulſum adpareat, plerumque intra quatuor deinde dies, citius nonnihil vel tardius, Hæmorrhagia ſequitur. Si ad quemlibet decimum ſextum Pulſum recurrat, intra tres dies ſupervenit Hæmorrhagia. Si octavo quolibet Pulſu obſervetur, Hæmorrhagia intra duos dies ſuccedit, vel intra duos dies cum dimidio. Denique ſi quovis quarto, tertio, ſecundo, Pulſu redeat, aut continuus ſit, intra 24 horarum ſpatium Hæmorrhagia exſpectari debet. In genere igitur, quo brevioribus Pulſuum periodis

ſus cum vibratione ſignum dat evacuationis menſtruæ, vel hœmorrhagiarum quarundam, per naſum, alvum hœmorrhoides, &c. Locus, quem cum mille aliis veriſimiliter ex *Galeno* deſumpſit. Sed quam longe ab omni illius rei cognitione abſit, cui hic a *Solano* inſiſtitur, plane adparet ex abſoluto ejus circa Hæmorrhagias ſilentio, ubi de Pulſu Dicroto loquitur p. 140, imo & ex propria ejus neutiquam intelligibili *pulſus vibrantis* deſcriptione *p.* 50. *Vibrans Pulſus motui ſagittæ comparatur, & per vehementem Cordis contractionem producitur, quæ Pulſum majorem efficit.* Quantæ tenebræ! quantum hoc a qualicunque Pulſus Dicroti idea diſtat!

dis revertitur Dicrotus, eo propius instat Hæmorrhagia.

III.

Aliquando Natura omnia ante memorata Critici Pulsus stadia regulariter percurrit, à primo ejus circa trigesimam quamvis Pulsationem accessu ad singulam quamlibet descendendo, unde Hæmorrhagia sensim iisdem præcise gradibus adpropinquans prænoscitur. Aliquando irregulariter Hæmorrhagiam accelerat, vel retardat, tuncque Pulsus Dicrotus majore vel minore Frequentia in eadem proportione recurrit; dumque ille variis & incertis periodis redit, tempus, quo Hæmorrhagia accidet, exacte determinari nequit.

Nota. Ea, quæ de Pulsu Dicroto, quoad varias Pulsationis, ad quas recurrit, periodos, & distantiam vel propinquitatem significatæ inde Crisis, in binis hisce postremis articulis observata sunt, de aliis etiam Criticis Pulsibus, quorum postea fiet mentio, absque iterata hoc

respectu sub quolibet horum Pulsuum repetitione, similiter intelligenda erunt.

IV.

Si Arteria magna celeritate bis feriat digitum, & Secundus Ictus admodum subito Primum Ictum excipiat, jamjam aderit Hæmorrhagia; sique tunc aliquantulum differatur, simul ac Aeger nares emunxerit, erumpet.

V.

Hæmorrhagiae Quantitas prænoscitur ex Vigore, quo Arteria Secunda Vice ferit, exacte comparato cum impetu Primi Ictus, sive vehemens hic, sive languidus, fuerit: sic si Arteria Secunda Vice feriat minori momento, quam primus Ictus digito impresserat, tunc parca erit Hæmorrhagia, & vicissim. Verum si Secundus Arteriæ Ictus, Primusque, æqualis Vigoris fuerint, moderata Hæmorrhagia succedet.

VI.

Eadem proportione, qua sanguis effluit, Secundus Arteriæ Ictus gradatim debi-

debilitatur, donec brevi post Crisin penitus dispareat; & successiva illa Secundi Ictus remissio Hæmorrhagiæ immediate prægressæ indicium suppeditat. Hæc Animadversio, mutatis mutandis, etiam istis Pulsibus, qui alias Crises denotant, adplicari debet.

VII.

Si Pulsus Dicrotus post Hæmorrhagiam continuetur, aut de novo resurgat, alteram ejusdem generis Crisin significat, juxta regulas supra dictas. Et hoc etiam aliis Criticis Pulsibus adcommodari debet.

VIII.

Si Secundus Arteriæ Ictus in uno Carpo evidentior sit, quam in altero, Sanguis sæpe ex Nare illius lateris, in quo Secundus Ictus evidentior est, majori abundantia erumpit.

CAPUT II.

Signa & Leges pro prædictione Diarrhœæ Criticæ, junctæque huic Crisis per Vomitum, vel per Urinam.

I.

P*ulsus Intermittens* certum indicium est futuræ Diarrhœæ Criticæ, tuncque tantum portendit Mortem, cum robur, ad perficiendam Crisin requisitum, deficit *

II.

Spatium temporis, Intermissionibus absumpti, quantitatem Materiæ, quæ per Diarrhœam evacuabitur, vel numerum Sedium, significat. Intermissio, quæ spatio unius Diastoles durat, vel in qua una tantum Diastole deficit, parcam Evacuationem innuit, vel paucas Sedes. Ea,

* Hæc nimis universalis Propositio *in secunda hujus Operis Parte* intra justos limites reducetur.

Ea, quæ duplicis Diastoles spatium absumit, ingentem Evacuationem significat, vel multas Sedes. Ea denique, quæ duas Diastoles cum dimidia absumit (longissima a *Solano* observata Intermissio), admodum profusam Evacuationem, vel ingentem numerum Sedium, indicat.

Nota. Quandoquidem diversa in variis Subjectis, quin & in eodem Subjecto variis temporibus, Pulsus Frequentia certam intervalli inter singulas quasque Pulsationes Mensuram haud admittit, existimandum est, *Solanum*, licet nullam unquam hujusce rei explicationem dederit, illam in præcedenti articulo intervalli Mensuram Proportionemve subintellexisse, quam in unoquoque Aegro regulares, Intermissionibus mediæ, Pulsationes ad se invicem gerere observarentur.

III.

Tensio Arteriæ, Pulsui Intermittenti conjuncta, certum est Vomitus Critici, Diarrhoeæ superaddendi, indicium.

IV.

Major minorve Arteriæ Tensio majorem



Caput II.

Signa & Leges pro prædictione Diarrhœæ Criticæ, junctæque huic Crisis per Vomitum, vel per Urinam.

I.

Pulsus *Intermittens* certum indicium est futuræ Diarrhœæ Criticæ, tuncque tantum portendit Mortem, cum robur, ad perficiendam Crisin requisitum, deficit *

II.

Spatium temporis, Intermissionibus absumpti, quantitatem Materiæ, quæ per Diarrhœam evacuabitur, vel numerum Sedium, significat. Intermissio, quæ spatio unius Diastoles durat, vel in qua una tantum Diastole deficit, parcam Evacuationem innuit, vel paucas Sedes. Ea,

* Hæc nimis universalis Propositio *in secunda hujus Operis Parte* intra justos limites reducetur.

Ea, quæ duplicis Diastoles spatium absumit, ingentem Evacuationem significat, vel multas Sedes. Ea denique, quæ duas Diastoles cum dimidia absumit (longissima a *Solano* observata Intermissio), admodum profusam Evacuationem, vel ingentem numerum Sedium, indicat.

Nota. Quandoquidem diversa in variis Subjectis, quin & in eodem Subjecto variis temporibus, Pulsus Frequentia certam intervalli inter singulas quasque Pulsationes Mensuram haud admittit, existimandum est, *Solanum*, licet nullam unquam hujusce rei explicationem dederit, illam in præcedenti articulo intervalli Mensuram Proportionemve subintellexisse, quam in unoquoque Aegro regulares, Intermissionibus mediæ, Pulsationes ad se invicem gerere observarentur.

III.

Tensio Arteriæ, Pulsui Intermittenti conjuncta, certum est Vomitus Critici, Diarrhoeæ superaddendi, indicium.

IV.

Major minorve Arteriæ Tensio majo-

 rem

rem minoremve per Vomitum Evacuationem, plures paucioresve vomendi Conatus, denotat. Intermissionis Duratio simpliciter junctæ Diarrhoeæ Quantitatem, vel Numerum Sedium, respicit.

V.

Nunquam observavit *Solanus* simplicem Crisin per Vomitum absque Diarrhœa, neque igitur, utrum ejusmodi Crisis aliquod peculiare, *Antiquis* incognitum, Signum habeat.

VI.

Mollities Arteriæ, Intermissioni conjuncta, certum indicium est Crisis per Urinam cum Diarrhœa; & major minorve Quantitas excretionis per Urinam per majorem minoremve mollitiei in Arteria gradum denotatur.

VII.

Nunquam observavit *Solanus* simplicem Crisin per Urinam, sine ullo Diarrhœæ concursu, nec aliquod novum signum ejusmodi Crisis noverat.

CAPUT



Caput III.

Signa & Leges pro prædictione Sudoris Critici.

I.

Cum Pulsus, qui futurum Criticum Sudorem significat, hactenus non satis cognitus, neque proprio charactere insignitus, fuerit, necessarium est, peculiarem ejus Descriptionem præmittere.

II.

Species est *Pulsus Inæqualis*, *in una, duabus, tribus, quatuor-ve, successi-vis Pulsationibus, tam altitudine, quam vigore, supra alias Diastoles insurgentis.*

III.

Si hoc Pulsus Incrementum in una solummodo Pulsatione recurrit, difficulter cognosci potest, vixque indicat Sudorem Criticum, nisi Arteria post primam in digitum impressionem sensibiliter ulterius urgeat, & profundum Carni ictum im-

primat. Tunc enim Sudorem Criticum, intra paucas ad ſummum horas ſecuturum, ſignificat.

IV.

Verum ut conſtituatur novus ille, a *Solano* pro Sudore Critico detectus, Pulſus, duæ, tres, vel quatuor, ſucceſſivæ Pulſationes, non tantum ſupra reliquas, ſed & gradatim, uti ipſæ procedunt, ſupra ſe invicem, inſurgere debent; ſecunda ſupra primam, atque ita porro. Quatuor hujusmodi ſucceſſivas Pulſationes ad ſummum obſervavit *Solanus*. Pulſum hunc *Pulſum Inciduum* vocavit, ob analogiam ejus cum quadam Pulſus ſpecie, quæ illo nomine in *Heredia* appellatur, & ANGLICE *The Unequal riſing Pulſe* (LATINÆ igitur *Pulſus inæqualiter adſurgens vel increſcens*) dici poteſt. Attamen eum ego iſto, quod ipſi imponere Auctori placuit, nomine appellabo.

V.

Pulſum hunc Auctor ſemper mollem deprehendit, una tantum vice excepta, qua, ante Icterum Criticum, durus appa-

paruit*. Hicque versus Corporis superficiem motus, unicus est, quem, a Sudore distinctum, *Solanus* post Pulsum Inciduum observavit.

VI.

Pulsus Inciduus, cum Arteriæ mollitie, certum indicium est futuri Sudoris Critici.

VII.

Quantitas secuturi Sudoris est in ratione composita Numeri & Vigoris ictuum, in Pulsu Inciduo adsurgentium. Sic quatuor ejusmodi successivæ validæ Pulsationes, Profusum, duæ cum eadem vigoris conditione, Moderatum, tres cum pari vi, Copiosum, Sudorem præsagiunt. Aliæ combinationes æque facile occurrent.

* Vide Sect. II. Cap. 4.



CAPUT IV.

Generales quædam Animadversiones circa supra dicta Signa & Crises.

I.

Non voluit Solanus, quod supra dicta indicia omnes hasce Crises constanter præcedant, cum aliquas ipse citra ulla talia prægressa indicia observaverit. Sed, raros hujusmodi Casus esse, adserit, exceptis Sudoribus, qui particulares Febrium Intermittentium Paroxysmos terminant, quos Pulsus Inciduus utplurimum non præcedit. Id tantum statuit, quod, dum hæc signa adparent, Crises, quas innuunt, regulariter subsequantur; adeo ut ab anno 1707, vel 1708, quo nexum inter hosce Pulsus eorumque Crises primo observaverat, ad annum 1738 usque, trium modo Casuum reminisceretur, ubi significatæ per Pulsum Crises ipsius exspectationi non responderant. Horum Casuum bini Narium Hæmorrhagiam

giam indicabant: quo tempore hæc in eorum uno deficeret, Frontis Dolor, vel Gravitas, supervenit, & proximo die Delirium, quod ultra mensem protrahebatur, successit. Attamen reconvalescebat Æger. Infortunatior alius post Hæmorrhagiæ Defectum sinistri Temporis dolore adfligebatur, & intra septem deinde dies, ingenti purulentæ materiæ copia per Nasum evacuata, occubuit. Tertius Casus Diarrhœam notaverat, cujus Defectum violenta Tormina, Singultus, ac Vomitus, comitabantur, unde Æger intra quatriduum peribat.

II.

Aliquando Natura illi Crisi, quæ priùs per Pulsum indicata fuerat, novam aliam Crisin substituit, tuncque præcedens signum mutatur in illud, quod ad succedentem Crisin pertinet.

III.

Aliquando, dum primum in Pulsu observatum indicium adhuc subsistit, secundum aliud, imo & tertium, supervenit; hæcque simul continuantur. Tunc duæ, tresve, Crises, ab iisdem specialiter indicatæ

dicatæ, singulæ juxta Leges supra dictas, accidunt.

IV.

Frequenti Observatione detexit *Solanus*, quod, si in Hæmorrhagia Narium colorem pallidè rubrum exhibuerit Cruor, parcaque copia fluxerit, Ægri tunc lente reconvalescant; lentissime vero, si, cum eodem colore, Hæmorrhagia abundaverit.

V.

Crisium, per Pulsus indicatarum, eventus, & determinata, qua accident, hora, una cum circumstantiis quibusdam concomitantibus, maxima probabilitate prædici possunt. At, cum illa, quæ hoc respectu *Solanus* tradidit, ex *Veteribus* derivata sint, ego hæc silentio prætermittam.

Nota. Videtur hic negligere Auctor illam eventus Crisium circumstantiam, quæ in Criticæ Evacuationis Copia, adeo sollicite ab *Antiquis* observata, consistit.

VI.

Semper Observavit Auctor, omnes illas Crises, quæ Naturæ Morbi, juxta regulas ab *Antiquis* traditas, analogæ sunt,

ſunt, bene cedere, niſi robur, performandæ, ferendæque, Criſi neceſſarium, deficeret.

VII.

Si ſumma debilitate langueat Æger, antequam abſolvi queat Criſis, occumbere poterit: at talis, ſi accideret, caſus Obſervationum *Solanianarum* veritati non nocebit.

Hæ ſunt, ex longo Obſervationum decurſu, pro Criſium ex Pulſu prædictione, deductæ, a *Solano* Leges. Quod autem magno fide digniſſimorum rariſſimorumque Factorum numero hac in re vere ſuſtentatus fuerit, absque ullo dubio in ſequentibus Paginis adparebit. Attamen, de nimia Concluſionum illarum latitudine & extenſione propria experientia convictus, hocce Prædicendi Syſtema non aliter, quam Hiſtoricus, tradidi, ut plane innoteſcere deinde poſſit, quousque rem acu tetigerit Auctor, quousque erraverit. Agnoſcendum eſt nihilominus, ipſum iis locis exercuiſſe Praxin, quibus temperata diæta, uniformis vitæ ratio, optimusque cœli habitus, concurrunt, ut Morbi ſimpliciores, eorumque

que Crises magis regulares, efficiantur, ac quidem sub contrariis conditionibus inveniri soleant. Quid, hoc respectu, *Solano* concedere oporteat, perspicacis, & non praeoccupati, Lectoris judicio relinquam. Sed qualecumque harum Praedicendi Regularum fatum fuerit, adlegata ab ipso Facta diversae penitus naturae erunt; priora scilicet, ab iis, quas inde deduxit, Conclusionibus non dependent, nec ullo, in subsequente ejus ratiocinio, errore debilitari poterunt. Observationum ejus, ad quas nunc procedo, substantia semper integram suam vim atque auctoritatem retinet, ausimque dicere, talem esse, quae naturaliter animum sciendi avidum excitare, attentionem figere, & ad ulteriorem hujusce negotii pervestigationem urgere, debeat.

SECTIO



SECTIO II.

Facta, quibus Observationum SOLANIANARUM veritas circa Prædictionem Crisium ex Pulsu in universum evincitur.

Infinitum Pensum foret, omnes, ab Anno 1707, vel 1708, quo rem istam primum detexit, usque ad Annum 1738, quo obiit, circa hanc materiem a *Solano* factas Observationes chartæ tradere. Quàm inexhaustum sit Subjectum hocce, ex sequenti cujusdam Epistolæ paragrapho facile judicari poterit, quam Anno 1735: ad Amicum *Gadensem* scripsit: *Nunquam metam adsequerer, si omnes illos, quos a fine* Junii *usque ad* Septembris *proxime elapsi finem observavi, casus enarrare susciperem. Hæmorrhagiæ Narium, quas, ex Pulsu Dicroto, prædixi, plusquam quinquaginta fuerunt: omnes Prognosi meæ respondebant, & duæ solummodo supra dictæ intulere mortem.* Crises

Crises per Sudorem, quas, ex Pulsu Incidu, prædixi, septem sunt, vel octo; &, quæ per Diarrhœam contigerunt, ex Intermittente Pulsu, quinque.

Ob hanc Factorum multitudinem Crises prædicendi habitus adeo tandem familiaris evaserat *Solano*, stimulusque, quo ab insensilibus suis Conterraneis incitaretur, præter gloriosam, sed inanem, famam, adeo levis erat, ut, ea, quæ observaret, Facta notare, passim negligeret, donec peculiares subinde Casus attentionem ejus atque diligentiam excitarent.

In iis, quæ circa hanc materiem Publico communicavit Auctor, peculiares viginti quatuor Casuum historias tradidit, & in Litteris, postquam *Antequeræ* valedixeram, in fine Anni 1737, & initio 1738, ad me datis, tredecim novarum Observationum mentionem fecit. Casus, ab aliis, qui eosdem observaverant, dum *Antequeræ* degerem, ipsi communicati, fuere undecim; illique, quos ego ab Amicis meis habeo, novem sunt. Omnes igitur simul (a propriis meis Observationibus, de quibus alibi loquar, abstrahendo) quinquaginta septem Casus efficiunt.

Hos

Hos ipſos enarrare, nimis tædioſum foret. Ex iisdem itaque tales ſeligam, qui Obſervationum *Solanianarum* veritatem, auctoritatemque, optime in univerſum ſtabilire poterunt. In hunc finem, quædam, a Perſonis omni partium ſtudio liberis confirmata, quædam etiam, ab ipſis ejus in Praxi Æmulis juramento corroborata, & iisdem conſentientibus publicata, Facta, miſſis aliis, ſegregabo.

In harum Obſervationum Hiſtoriis varia, ab earum Scriptoribus addita, ſed primario Scopo vere extranea, Monita & Accidentia prætermittam: at, ſi naturaliter ex Factorum circumſtantiis naſcantur, & manifeſtum ſinceræ & infucatæ relationis Characterem gerant, omitti nequeunt, niſi illa, quam ab Obſervatorum candore recipiunt, ponderis & auctoritatis portione Facta ipſa denudentur.

Obſervationes iſtæ, quæ prima jam demum vice prodeunt, *Aſteriſci* ope a reliquis diſtinguentur.



Caput I.

Exempla Prædictionis Hæmorrhagiarum Criticarum per Nasum.

*OBSERVATIO I.

Ex Declaratione quadam Domini JOSEPHI VINCENTII GOMEZ, Antequeræ *Medici, desumpta.*

Curabam, inquit, JOANNEM ROMERUM, *Antequeræ* incolam, *in Calle Gavilanes* (sic dicta Platea), Febre Ardenti decumbentem, quam animi deliquia, aliaque periculosa symptomata, comitabantur. Vir erat sex & viginti annorum, bono habitu, temperamenti calidi elastici. Post Sanguinis Missionem, aliaque remedia, quinto die Pulsum Dicrotum observavi. Ægro itaque *Solani* Observationibus inductus, Hæmorrhagiam Narium vaticinabar; sed intra bidui solummodo spatium, quia Se-

Secundus Ictus non continuo aderat † (quo Pulsuum numero iste recurrerit, non expressit Auctor); interea omnium remediorum usum suspendi. Idem Pulsus proximo die continuabatur; & dum tertio die manè ægrum inviserem, narrabat mihi, se prægressa nocte sanguinem, ad dimidiæ pintæ copiam, ex naribus dimisisse; Pulsum ejus naturalem, morbumque, ut Antiquis terminis utar, perfecte judicatum, reperi.

* OBSERVATIO II.

Anno 1736, *Don Juan Pardo*, Domini *Joannis Pardi*, Nobilis primi Ordinis, & in Civitate *Antequeræ* Regidoris §, Filius, Febre Tertiana Continua laborabat. Cura ejus gerebatur a Doctore *Francisco Criado y Balboa*, Regiæ Familiæ Medico honorario, qui, omnium, quæ applicaverat, remediorum inefficaciam expertus, *Solanum* tandem in consilium advocavit, ubi nova Sanguinis Missio, a priore proposita, sed ab altero rejecta, fuit, qui, ut sequenti die institue-

 re-

† Vid. pag. 2. n. 2.
§ Membrum Magistratus.

retur, consentiebat, nisi interim, quam ex Continuo Pulsu Dicroto exspectabat, Narium Hæmorrhagia erumperet. Ut vero ulterius sibi satisfacerent, ambo statim ad ægri examen regressi, unius pulsationis Intermissionem, Pulsui Dicroto conjunctam, omnique secunda vel tertia diastole recurrentem, animadverterunt: unde *Solanus* *, præter Hæmorrhagiam, Diarrhoeam imminentem præsagiebat; quæ duodecima circiter ejusdem diei hora, uti & Hæmorrhagia octava circiter vespertina, secuta fuit. Ex eo tempore melius habebat æger.

Hujusce Observationis veritas, ab ægro ipso, ejus parentibus, ac universa familia, mihi, cum *Antequeræ* degerem, confirmata fuit; uti & a Domino *Antonio de Heredia y Bazan*, Civitatis illius *Corrigidore* (hoc est, Supremo tam in civilibus, quam militaribus, negotiis Magistratu), notæ dignitatis & curiositatis Nobili, qui, audito casu, statim eadem vespera, hora undecima, ut sibi ipsi de hujusce rei veritate satisfaceret, sese ad ægri domum contulerat.

OB-

* Vid. p. 11. n, 3.

OBSERVATIO III.

Don Antonio Alvarez, *Antequeræ* Medicus, in quadam, quam *Solano* tradidit, Declaratione, inter varios alios Casus, unum refert, ubi, observato Pulsu Dicroto, Sanguinis Missionem distulerat, quam cæterum plane indicatam existimabat. Proximo die, decreta secum Sanguinis Missione, rediens, mirabatur, quod, ægrum foras exiisse, intelligeret, causamque tam inopinati eventus sciscitanti respondebant Familiares, ægrum in eadem inquietudine & anxietate, uti ipsum reliquerat, perseverasse ad Auroram usque; quo tempore, increscente anxietate, delirus evaserat, moxque sanguinem dimiserat per Nares. Post vero in tranquillum somnum delapsus, & expergefactus, probe sanus, induerat vestes, & ob magni momenti negotium exiverat. Gratulabatur sibi Doctor, quod Sanguinis Missionem, quæ tam felicem Crisin potuisset avertere, distulisset.

Declaratio, unde Observatio isthæc desumpta est, a Doctore *Alvarez* juramento confirmata, ipsoque consentiente publicata, fuit.

OBSERVATIO IV.

Anno 1736. vocabatur *Solanus*, ut *Emanuelem Mercado*, robustum, laboriosum, calidissimi temperamenti, juvenem, *Antequeræ* incolam, in platea *Calle Del Rastro* dicta, inviseret. Dies tunc sextus agebatur Febris Petechialis; insatiabilis sitis, intolerabilis in superficie corporis, licet interiores partes vix adficeret, ardor, Pulsusque, sine ulla insolita celeritate, parvus ac Dicrotus, aderant. Ex ultimo hocce symptomate impendentem Hæmorrhagiam ægri familiæ significabat Doctor; sed, hanc in illius indolis morbo perniciosam fore, judicans*, frustra omnes, quas excogitare poterat, methodos adhibuit, ut eandem averteret. Tribus diversis temporibus sanguis de naso fluxit, singulisque vicibus ab ipso familiaribus prædicebatur. Post repetitas hasce Hæmorrhagias debilior pejorque evadebat æger, &, diarrhœa, similiter a *Solano* prædicta, sed quam nec impedire, nec temperare, poterat ipse, nec ferre æger, intra paucos deinde dies occubuit.

OB-

* Vide p. 12. n. 6.

OBSERVATIO V.

Eodem Anno *Joannes Delgado*, ætatis circiter triginta annorum, ſicco calidoque temperamento prædítus, in Febrim Tertianam Continuam, quæ caput afficiebat, incidit. Secunda die (an morbi, an curationis, non exprimitur), obſervato Pulſu Dicroto, cujus Secundus Ictus Primum valide & celeriter excipiebat*, copioſam ipſi narium Hæmorrhagiam, intra duodecim horarum ſpatium, præſagiebat *Solanus*: hæcque ita contigit. Triduo ſequenti, indies, pari fundamento, parem prognoſin, ſucceſſu pari, non ſine inſigni totius familiæ ſtupore, repetiit. Sed tandem, nimiam hanc evacuationem ratus, magna difficultate ejusdem continuationem præcavit; brevique reſtituebatur æger. Caſus hic, continuum toto quatriduo Miraculum, in vicinia famoſus evaſerat; mihique, dum *Antequeræ* verſabar, ab ægroti conſanguineis adfirmatus fuit.

* Vide p. 3. n. 4.

* OBSERVATIO VI.

Desumpta ex Declaratione quadam Doctoris MICHAELIS DE PORRAS.

Ego *Don Miguel de Porras*, Medicinæ Doctor, hujusque Civitatis *Antequeræ* incola, declaro, quod, dum Anno 1736. proxime elapso Frater meus *Don Rodrigo de Porras*, calidæ ac robustæ constitutionis juvenis, in Continuam Duplicem Tertianam Febrem incidisset, periculi cujusdam metu, quarto die Doctorem *Franciscum Solanum de Luque* in consilium advocaverim. Postquam ita, ut e re esse videbatur, consulueramus ægro, in visendo ipso *Solanus* perstitit, septimaque die mane, explorato Pulsu, Amitas & Sorores meas, quæ aderant, rogavit, ut ad emungendas nares candidum ægro strophiolum largirentur; se enim, ob Pulsum Dicrotum, partis illius Hæmorrhagiam exspectare. Ego tunc domo aberam; sed bihorio post redeunti, inquirentique, quomodo valeret Frater, & utrum ipsi adfuisset Doctor, Amitæ & Sorores narrarunt, quæ contigerant.

Re-

Respondi ego; bene, videbimus! Intra horam circiter cum dimidia, dum æger nares emungeret, tanta copia erupit sanguis, ut integrum strophiolum commacularet. Mox advocabat familiam; accessimus, & veritatis *Solaniani* præsagii spectatores fuimus. In cujus rei testimonium Declarationem hancce signavi, *Antequeræ* nona Octobris 1737.

Don Miguel de Porras.

* OBSERVATIO VII.

Desumpta ex Epistola ad SOLANUM scripta.



Ego *Don Pedro Castan, Casæ Vermejæ* Archiater Titularis, Universitatis *Gandiensis* Doctor, a Regio *Protomedicato* approbatus, declaro, quod 12ª. Decembris 1735. vocatus fuerim, ut *Antonium de Luque*, ætatis 41 annorum, Febre Synocha, quarto tunc die, periculose laborantem, inviserem. Post purgationem, repetitam sanguinis missionem, variaque alia remedia, æger meus indies pejus habuit, ita ut de salute ejus de-

sperarem. Vigesima morbi die, ad ostium domus obvium se mihi offert ægri Frater *Augustinus de Luque*, totus perfusus lachrymis, dicitque, desiderare se, ut advocetur consilium: huic ego, examinato ægro, cujus Pulsus valide admodum ac celeriter pulsabat, & Dicrotus videbatur, respondeo, frustra fore; ægrum enim, antequam Medicus posset accedere, moriturum. Urget, ut, quæ maxime e re esse viderentur, præscriberem; sed, locum, quem in *Lapide Lydio* paucis diebus ante de Pulsu Dicroto legeram, mecum recolligens, ægrum simpliciter jusculo suo nutriendum esse, conclusi, & exspectandum eventum. Proximo mane prima Aurora visitavi ægrum, eandemque Pulsus vehementiam ac frequentiam deprehendens, sed evidentius, quam prægresso die, Dicrotum, mox declaravi familiæ, exspectare me Hæmorrhagiam Narium intra bihorium, monuique, ne ulla ægro remedia applicarent, donec reverterer. Post trihorium redii, eumque tanta Hæmorrhagia diffluentem inveni, ut lecti linteamina vix essent imbibendo. Bihorii spatio durabat Hæmor-


morrhagia; quo tempore sæpe Pulsum ejus examinavi, ac notavi, Secundum Arteriæ Ictum gradatim decrescere, tandemque integre disparere †. Tunc valedixi ægro; omne periculum transiisse, monui; & intra paucos deinde dies reconvalescebat. Ipse etiamnum in hac Civitate cum familia sua vivit. Alios præterea hujusmodi Casus, successu non minus felici, in Febribus Ardentibus, quæ Pleuriticis doloribus stipatæ videbantur, observavi; quorum, si desideraveris, exactas tibi Historias transmittam. In testimonium veritatis supra memorati Casus juro, signoque, in Musæo meo *Casæ Vermejæ* die 11. Octobris 1737.

Don Pedro Castan.

† pag. 4. num. 6.

CA-



CAPUT II.

Exempla Prædictionis Diarrhœarum Criticarum.

OBSERVATIO I. II. III.

Declaratio Doctoris F. T. DE SAYAS.

Ego *Don Francisco Thomas de Sayas*, Regis nostri, pro Augusta ejus Familia, Medicus honorarius &c., declaro, quod, variis hisce prægressis Annis, cum Doctoribus *Rodrigo Parilla y Villalon*, & *Francisco Solano de Luque*, in varia consilia advocatus, multarum in hoc Libro * relatarum, & a *Francisco Solano de Luque* prædictarum, Crisium testis fuerim. Inter quas sequens Casus, in Domino *Geronymo Goni y Avendano*, Civitatis hujusce *Corrigidore*, nobis tribus tunc præsentibus, admodum stupendus erat.

Post-

* *Lapis lydius* indicatur.

Postquam unusquisque nostrum, in Nobili hoc Viro Pulsum Inæqualem, Intermittentem, Irregularem, animadvertisset, Dominus *Franciscus Solanus de Luque* innuit, *Ægrum proxima die summo mane magnam anxietatem, cum tanta corporis perturbatione, passurum esse, ut adstantes, illum in mortis agonia versari, judicaturi forent. Sed omnem hunc tumultum tribus quatuorve sedibus pacandum esse.* Doctor *Villalon*, egoque, nullam tunc ipsius Prognosi fidem adhibuimus, irregularitatem Pulsus aliis longe causis, quam quas *Solanus* suggesserat, adscribentes. Verum extremo cum stupore Prognosis hujus adimpletionem mirabamur; *Præfixo enim tempore tanta ægri anxietas erat, ut universa familia commoveretur, putaretque, ipsum revera mori, sed brevi, alvo ter quaterve deposita, integre fere reconvalescebat.* Idem, proximo die, licet serius, minori copia, & absque ullo incommodo, accidit, perfecte etiam uti *Solanus* prædixerat.

Declaro insuper, quod, cum in Fratre *Ludovico de Cuenca*, Ordinis Franciscani, in Conventu *Stæ. Mariæ Magdalenæ*, hujus

jus Civitatis, Monacho, in Febris cujusdam exacerbatione Inæqualem Intermittentem Pulſum deprehenderet *Solanus*, ſuccincte enuntiaverit, *Ægrum nullo remedio indigere; Febrim enim poſt mediam noctem copioſa Diarrhœa terminandam fore*; quæ & accidit, uti præmonuerat Doctor, nosque omnes ægrum proximo die perfecte ſanum conſpeximus. Huic Prognoſi Doctor *Antonius Alvarez*, ego ipſe, & varii ex ſupra dicto Ordine Reverendi Viri, intererant.

Declaro etiam, me, dum, iisdem adſtantibus, Fratrem *Franciſcum Diaz*, memorati Conventus *Guardianum*, Febre, magnaque anxietate, cum Intermittente Pulſu, ad ſecundam & tertiam pulſationem recurrente, adflictum, inviſerem, Domino *Franciſco Solano* dixiſſe, quod, ſi in hoc ægro Prædictio ejus deprehenderetur vera, memet de Obſervationum ejus certitudine plane convictum agnoſcerem. Accepit Conditionem, dixitque, *Ægrum brevi violentiſſimam ventris commotionem paſſurum eſſe*. Intra bihorium tam vehementes inteſtinorum tumul-

multus & borborygmos, cum tam enormi flatuum eruptione, percepit æger, ut se Viscera ipsa explosurum crederet: his fæculenta successit sedes, post quam commode habuit. Proximo mane, aliquas in Pulsu Intermissionis reliquias detegens, *Solanus* *, ut alvi motus facilitaretur, præscripsit Clysma. Laudabilis evacuatio secuta fuit, ac deinde Pulsus Intermissio, febrisque, cessarunt, quod æque me, ac *Guardianum* ipsum, Fratrem *Michaëlem Garzia*, Ordinis Chirurgum, plurimosque alios, in stuporem rapuit.

Quoad alias Crisium, a *Francisco Solano de Luque* prædictarum, species, Hæmorrhagias Narium, & Sudores, juro, me, licet hisce Prædictionibus ipse non adfuerim, easdem nihilominus a Personis omni exceptione majoribus, quorum aliquibus Facta ista acciderant, aliqui eorum in aliis testes fuerant, confirmatas audivisse. Quam ob rem, & quia ipse mecum de certitudine Prædictionum, quibus interfui, convictus sum, ne vel minimum

*. Pag. 4. num. 7.

mum ea de re dubium superest. Juro igitur, & subsigno

Don Francisco Thomas de Sayas.

* OBSERVATIO IV.

Ex Declaratione quadam Doctoris MICHAELIS DE PORRAS.

- - - Declaro insuper, quod *Maria Josepha de Saa-vedra*, provectæ ætatis, cachectici, & obstructionibus stipati, habitus Domina, curis quibusdam, animique nquietudinibus, laborans, ex hypochondriaca adfectione in Febrim Malignam, cum omnis nutrimenti ac remediorum ejectione per vomitum, urinæ suppressione, & adstricta alvo, delapsa, primum curæ Doctoris *Antonii Al-varez* demandata fuerit; qui, aliquot diebus elapsis, *Franciscum solanum de Luque*, & *Franciscum Criadum*, Medicinæ Doctores, in consilium advocavit. Unanimiter consentiebant, morbum lethalem esse; *solanus* autem, ex Intermittente Pulsu, coram Domino *Pedro Vorrego*, matre ejus, sororibus, atque universa familia, ægram sequen-

sequenti vespera duas tresve largas sedes habituram, monuit: quod & eadem vespera, ut mihi ab omnibus supra memoratis adseveratum fuit, inter octavam nonamque accidit. Biduo post vesperi rogabam, ut liceret videre ægram; Pulsusque Intermissionem inter singulas tertias quartasque pulsationes deprehendens *, iisdem præsentibus, futuram postridie Diarrhœam indicavi. Quo facto, Prædictionis, biduo ante a *Solano* factæ, eventum narrarunt; unde in mea etiam ulterius confirmabar. Proximo mane ægra duas largas sedes habuit, vermemque evacuavit, longitudine quadrantis ulnæ. In cujus rei testimonium hancce Declarationem signavi, *Antequeræ* die 9. Octobris 1737.

Don Miguel de Porras.

* OBSERVATIO V. VI. VII.

Ex Declaratione Doctoris VINCENTII GOMEZ.

Ego *Don Vincente Gomez*, Medicinæ

G Do-

* Vide pag. 2. num. 2.

Doctor, Civitatis hujus *Antequeræ* indigena, & civis, declaro, quod, dum curam gererem *Alonsi Duran*, qui in *Cruz Blanca* Febre Ardenti decumbebat, post convenientium remediorum usum, nono die Regularem Pulsus Intermissionem observaverim; quem dum attentione plus quam vulgari explorarem, *Frater Franciscus de Sto. Nicolao, Trinitarius*, qui tunc casu aderat, ait, *Videris timere, Doctor, ne æger in periculo versetur; ego, licet non sim Medicus, revera timeo: nam Pulsus ejus sistitur.* Respondi, *Me & Intermissionem percipere, & præ-videre periculum; primum lethale signum esse, omnemque ulteriorem remediorum applicationem inutilem.* Postridie nihilominus redii, ut viderem ægrum; & manifestiorem adhuc frequentioremque Intermissionem detexi *. Talis in sequentem usque diem perseveravit; quo tempore accessit Diarrhoea, post quam Intermissio disparuit †, & levamen sensit æger. Brevi post, Critico unius Parotidis abscessu facto, perfecte convaluit.

De-

* Vide p. 2. num. 2. † Pag. 4. num. 6.

Declaro insuper, quod, dum *Francisca de Valenzuela*, 70 annorum Domina, Continua Duplici Tertiana Febre laboraret, & a quodam hujus Civitatis Medico pro desperata haberetur, Filius ejus Dominus *Antonius del Campo*, ut ipsam inviserem, me impulerit; cui tandem, non sine renixu quodam, consensi; illamque, cum Intermittente, debili, ac parvo, Pulsu, Lethargicam deprehendens, alterius Medici Prognosin confirmavi, recusavique, aliquid præscribere: sed, *Fratris Joannis Vilchez* importunitate, fatigatus, quædam tamen Digerentia, Stomachica, & Cephalica, præscribebam. Perstitit Intermissio, & Symptomatica *, quæ ægræ

* Etiamsi Diarrhœam hanc *Symptomaticam* vocaverit Doctor, apparet nihilominus, eam stricte loquendo revera *Criticam* fuisse; etenim evacuatio, exquisitissime ad removendam Morbi Caussam appropriata, perniciosa evadere potest, ob accidentalem cum extrema debilitate concursum, quæ largas qualescunque fluidorum imminutiones admittere nequit, sine totali vasorum relaxatione & collapsu. Talis in præcedenti Observatione Casus erat. Absolvebatur Crisis, Medicus feliciter servabat requisitum inter evacuationis quantitatem, atque ægræ vires, æquilibrium. Sic vacillantes hujus Spiritus sustinebat,

ægræ vires pessumdabat, Diarrhœa supervenit: verum, post Adstringentium quorundam cum prædictis remediis miscelam, Diarrhœa, Febrisque, cessarunt, disparuit Intermissio, imminens Apoplexia transiit, ægraque ad stuporem omnium adsistentium sanabatur.

Ejusdem ægri † Matrem Febris Tertiana Duplex prehendit, quæ non minorem mihi sollicitudinem peperit, quam quæ Filium adflixerat, ætatis ejus, sexaginta scilicet & sex annorum, magnæque Symptomatum violentiæ, respectu. Pulsum ipsius septima & octava pulsatione Intermittere, observabam *; quapropter omnibus remediis abstinui, juxta *Solani* regulas Diarrhœam Criticam præstolaturus.

bat, &, remota per Crisin Morbi Causa, cito Robur recuperabat ipsa, ac sanabatur. Hic, inquam, necessario Casus fuit; cum evidens sit, pauca quædam Adstringentia, quibus Cura adscribitur, Medicamenta esse, nec adaptata Causæ, nec Morbi hic memorati violentiæ proportionata.

† *Joannis Romeri*, cujus Casus in Declaratione præsentem Observationem immediate præcedit, & ad Caput de *Hæmorrhagiis* translatus fuit.


* pag. 2. num. 2.

rus. Triduo perseveravit Intermissio; deinde sine ulla Diarrhoeæ apparitione evanuit †. Hac de causa ægræ regimen perscrutatus, eam supra dictis diebus cocta Cydonia comedisse, detexi, paratamque ex Cydoniis, Absynthio, ac Lardo, pulticulam Stomacho & Abdomini adplicasse; detecta sic, unde Diarrhoeæ detentio processerat, causa, jussi statim, ut hæc Medicamina amoverentur, mutaretur ægræ Diæta, Adstringentibusque, ad æquilibrandos priorum condensantes effectus, Incidentia, Attenuantia, ac Laxativa remedia substituerentur. Attenuatis sic humoribus, solidisque ad pristinam laxitatem reductis, nova Pulsus Intermissio, &, intra viginti quatuor deinde horas, Diarrhoea, quæ ægram quadantenus levabat, apparuit. Sed, cum viderem, non esse hanc completam Crisin, leve Tamarindorum Decoctum præscripsi: unde modicas binas sedes habuit. Quamcunque interim adhibuerim curam, sensim pejus habuit, tandemque occubuit. Supra memoratos Casus observavi ipse, &, cum ve-

† Pag. 3. num. 3.

ri ſint, ſignavi, *Antequeræ* die 6. Octobris 1737.

Don Joſeph Vincente Gomez.



CAPUT III.

Exempla Prædictionis Sudorum Criticorum.

* OBSERVATIO I.

Communicata a Doctore GOMEZ.

Franciſcus Ignacius, *Hoyæ* incola, in Febrem Continuam Duplicem Tertianam, magna laſſitudine, & anxietate, ſtipatam, incidit. Sexto die ad ſingulas tertias quartasque pulſationes † Pulſum Inciduum obſervavi. Critici ergo Sudoris exſpectatione, omnium remediorum uſum diſtuli. Reſpondit eventus; etenim circa ſeptimæ diei finem copioſiſſimus expellebatur Sudor, per quem morbus feliciter deſiit. *Antequeræ* die 6 Octobris 1737.

Don Joſeph Vincente Gomez.

† Vide p. 2. num. 2.

OB-

OBSERVATIO II.

Ex SOLANO.

Fratri Cecilio Garzia, Lorensis Franciscanorum Conventus *Superiori*, Febre Continua laboranti, in determinatam proximæ diei horam Sudorem Criticum prædicebam. Quam ob rem, magna cum difficultate, & datæ Prognosis certitudini coram universo Conventu insistendo, Domino *Antonio de Pontes*, Medico Ordinario, persuasi, ut Missio Sanguinis, quam ægro præscripserat, differretur. Circa præfixam horam, dicto Medico præsente, irregularem admodum perturbationem sensit, hancque Sudor copiosissimus sequebatur, quo perturbatio simul, & Febris, evanuit.

OBSERVATIO III.

Ex Eodem.

Don Alonzo de Godoy y Roxas, perpetuus Civitatis *Antequeræ Regidor*, post Intemperiem quandam in Febrem Continuam relabebatur, quæ adeo violenta

evasit, ut quarto die in consilium advocarer. Alii Medici, Dominus *Franciscus Thomas de Sayas*, & Dominus *Antonius Alvarez*, Sanguinis Missionem proponebant; sed, levibus quibusdam Pulsus Incidui ictibus perceptis, prævisaque inde per Sudorem Crisi, ut, quartæ diei respectu, Sanguinis Missio differretur, persuasi. Vesperi Pulsum Inciduum evidentiorem, &, memoratam ab *Hippocrate* *, rubram in Urina nubeculam, observavi. Quapropter acrius memet Sanguinis Missioni opposui, prædixique, futurum septimo die Sudorem Criticum. Hoc temporis intervallum, licet æger quasdam mutationes subiret, sine ulla ulteriori Præscriptione absumebatur; & septimo die bini copiosissimi Sudores supervenerunt, quibus integre sublatus est Morbus.

OBSERVATIO IV.

Ex Eodem.

Frater Alexander de Paz, Ordinis *Franciscani*, cum *Illoram* peteret, prehen-

* Aph. 71. Sect. 4.

hendebatur Febre Continua, ad Tertianæ
nonnihil indolem accedente, cujus vio-
lentia ingentem ipsi inquietudinem pepe-
rit. Postmeridie quadam, Pulsum In-
ciduum percipiens, copiosum ipsi, circa
nonam ejusdem vesperæ horam futu-
rum, Sudorem denuntiavi, cujus ope re-
stitueretur. Ad hanc meam Prognosin
obstupuit, non tantum, quia hoc illi no-
vum videbatur, sed & quod nunquam, si-
ve per Sudorifica, sive per Exercitia, Su-
dor ipsi exprimi potuerat; ideoque non
credebat; præcipue vero ipsius horæ de-
terminationem mirabatur. Tandem, cir-
ca nonam, anxietatem sensit, incepit de-
lirare, Sudavit insigniter; sicque brevi
spatio perfecte convaluit.

OBSERVATIO V.

Ex Eodem.

Frater Joannes Gomez, *Antequeræ* jam
Conventus *Magdalenæ Guardianus*, die
quodam Lunæ mane in Febrim admodum
Acutam incidit; die Jovis, Morbi quar-
to, Pulsum Inciduum observavi, &, co-
ram universo Conventu, præmonui, die

 Do-

Dominica mane, post magnam anxietatem, copiosissimum adfore Sudorem Criticum; promittendo simul, ipsum inde sanandum esse. Explorato postridie Pulsu, hesternam Prognosin repetii; eundemque leviter Dicrotum deprehendens*, addidi, quod illo ipso die aliquot Sanguinis guttas de Naso emungeret; idque hora undecima faciebat. Vesperi aliam pro sequenti nocte similem Hæmorrhagiam prædixi; quæ pariter contigit. Die Saturni mane, exiguam quandam Pulsus Intermissionem circa tertiam quartamque Pulsationem percipiens †, facilem Alvi circa meridiem motum indicavi, eoque circiter tempore unicam sedem habuit, simulque vermem, longitudine quadrantis ulnæ, ejecit. Die Dominica, summo mane, ingentem anxietatem, jactationem, nauseam, delirium, tremorem, & insignes horripilationes, passus fuit. Inveni ipsum, sub hisce symptomatibus luctantem, nec, sine aliqua difficultate, ægri, adsistentiumque, eum in Agonia versari existimantium, metus compescere poteram. Perseveravit ita, spatio

* Vide p. 13. num. 3. † Vide p. 2. n. 2.

tio quadrantis horæ; quo elapso, tanto cum fœtore Sudavit, ut Monachi, omnia ejus stragula permutare, cogerentur, & universum Conventum lustrare suffumigiis; æger autem perfecte convaluit.

* OBSERVATIO VI.

Desumpta ex Epistola ad SOLANUM scripta à Domino PETRO JOSEPHO MARIN DE APARICIO, Visitore Generali redituum Tabaci MALAGÆ.

- - - Post quæ ad Factum propero. *Don Alonzo de Sevilla*, ad meam Tribum pertinens, ante aliquot dies ægrotare inceperat. Medicus ejus *Don Nicolas Rexano* morbum Tertianæ Duplicis intermittentis nomine insigniebat, qui post sex Sanguinis Missiones in Febrim denique Continuam evasit. Desideravi igitur, videre ægrum, die Morbi undecima, Domino *Antonio Manzo*, Subcenturione, ac Domino *Jacinto Marfil*, redituum Tabaci Secretario, sociatus; &, licet meæ in Rebus Medicis ignorantiæ conscius, attamen juxta Regulas, in tuo, nunquam satis

tis laudato, Opere communicatas, ægri Pulsum explorare volui. Circa trigesimam vel trigesimam primam Pulsationem Suspensionem quandam, Intermissionemve, observavi, aut aliquid tale, quod, penitissimæ in hoc negotio cognitionis defectu, determinare non poteram. Quamobrem Dominum *Antonium Manzum*, qui eodem mecum delectamento Operis tui partem legerat, rogavi, explorare ægri Pulsum, & supra dictum Pulsationum numerum examinare, vellet. Quo facto, eundem, quem ego observaveram, insolitum motum ad trigesimam tertiam Pulsationem animadvertit. Hinc, tuis Regulis * inducti, ambo, Crisin quandam decimo quarto die secuturam, judicavimus; cujus generis Crisis illa futura esset, determinare non ausi. Hora deinde elapsa, supra memoratis nobis occurrit Medicus, adseritque, ægrum periculose decumbere, videri sibi, e re esse, ut Vesicatorium, & nova Sanguinis Missio, præscriberetur; denique desiderare se, ut Doctor *Raphaël de Fuentes* in consilium advocaretur. Ægri commiseratione ta-

ctus,

* Vide p. 2. num. 2.

ctus, modeste ipsi, quid observassem, quidque inde judicarem, exposui, & petii, ut, priusquam propositam a se Sanguinis Missionem susciperet, negotium istud serio examinaret. Advocaveram consilium, sed eidem interesse non potui. Hora septima vespertina, Dominum *Raphaëlem de Fuentes* in *Administratoris Generalis* aedibus obvium habui; qui ibidem, coram Nobilissimo illo Viro, ejus Familia, ac supra dicto Domino *Antonio Manzo*, periculosum aegri statum declaravit; cumque eum rogarem, utrum in Pulsu id, quod ego observaveram, notasset? idem se notasse, respondit, sed frequentius, & ad vigesimam tertiam vel quartam Pulsationem recurrisse *; non esse Intermittentem Pulsum, ut mihi imaginabar, sed Inciduum; seque ideo Domino *Nicolao Rexano* suasisse, ne sub hujusmodi conditionibus Sanguis aegro detraheretur; nihilominus, quod aegerrime tuli, Sanguinem ipsi ex Vena Hepatica subduxit. Verum, non obstante perversa hac Curandi Methodo, nataque inde virium diminutione, tam stabilis ac potens erat vincentis

* Vide p. 2. n. 3.

centis Naturæ propensio, ut decima tertia nocte in calidum copiosum Sudorem erumperet, qui ad proximum usque diem protrahebatur, ægrumque Febre sua liberum reliquit; quemadmodum Dominus *Nicolaus Rexanus* ipse mihi coram Domino *Jacinto Marfil* confessus fuit. Necessarium duxi, Casum hunc communicare tecum, &, si opus videatur, eundem Publica Auctoritate confirmatum transmittam. *Malagæ* die 17. Septembris 1737.

Don Pedro Joseph Marin de Aparicio.

Hæc Historia, una cum aliis quibusdam ejusdem indolis, postea mihi ab Auctore præcedentis Epistolæ confirmata fuit.

Ex variis præcedentium Historiarum colligi potest, quod, ab eo tempore, quo salutaris Crisis indicia observaret *Solanus*, donec ea contingeret, Generalis ipsius Methodus fuerit, prohibere omnia ejusmodi Remedia, quæ, quocunque respectu, Naturæ Molimina impedire possent.



Caput IV.

Exemplum Prædictionis Icteri Critici.

Ex SOLANO.

Don *Bartholome de Sierra y Salvatierra*, Ordinis St. *Jacobi* Eques, ex Ægrimonia, quam ob Anginam, qua adfligebatur, conceperat, in pertinacem Melancholiam incidit, &, licet aliquod sub mea Cura levamen perciperet, statuit tamen, ulteriorem opem *Madriti* quærere, mihique, ut ipsum eo comitarer, Anno 1721 persuasit.

Hoc loco Doctor *Higgins*, Regis Medicus, & Doctor *Zapata*, fam sissimus *Madriti* Practicus, cum Domino *Le Gendre*, Regis Chirurgo, ægri Curam susceperunt. Doctor *Don Joseph Zunol*, Principis *Asturiensis* Medicus, Doctori *Higgins*, qui regulariter adesse non poterat, substitutus fuit. Hi duo Medici, post irritum viginti dierum laborem, ægro tandem Viperinum Jusculum propo-

posuerunt: quod ego, ut differretur, persuasi; eo quod Pulsum Inciduum, cum notabili Arteriæ Tensione, vigesima quavis diastole recurrentem *, percipiens, declararem Familiæ, intra quinque dierum spatium maximam ægro mutationem adventuram fore. Acriter etiamnum, a supra memoratis duobus Medicis, ægroque ipso, propugnabatur, & a me repellebatur, Jusculum: cum interim, Pulsum Inciduum regulariter inter septimam & octavam Pulsationem recurrere †, observarem, atque adeo Crisin adpropinquare, prænoscerem, quam tunc ob Pulsus Duritiem, aliasque nonnullas Morbi Conditiones, judicavi, & aperte prædixi, fore Icterum: quo facto, æger, qui plus semel certitudinis mearum Prognosium testis fuerat, in meas, contra Jus Viperinum, partes transiit. Tertia nocte, ingentem inquietudinem, validamque in se ipso mutationem, sensit, & reliquo tempore in eodem statu perstitit, usque ad quartum mane, quo, ad stuporem universæ Familiæ, Totus Flavus apparuit. Jussi,

* Vide p. 2. n. 2.
† Vide p. 3. n. 3.

Jussi, ut clauderentur fenestræ, & binæ candelæ in ægri cubiculo accenderentur: Medici successive introibant; singulos, ut intrabant, rogavi, an Homini Icterico nocere Jus Viperinum, aut Naturam ad Icterum Inclinantem turbare, posset? Unus, Hoc in ejusmodi Casibus neutiquam convenire; Alter vero, neminem, nisi Idiotam, Id præscripturum, respondit. Deinde ægri Pulsum explorabant, Icterum ad candelæ lumen nondum animadvertentes; sed curabam ego, ut fenestræ subito aperirentur; sic plenus irrupit dies; videbant Icterum, & tanquam fulmine tacti percellebantur.

Hæc Observatio brevi post a *Solano*, absque ulla Doctoris *Zunol*, vel *Zapatæ*, contradictione, in Publicum emissa fuit, quos tamen nimis prope concernebat Casus iste, ut nullum minimi etiam in hac Historia erroris usum facerent.



Caput V.

Exempla similium Observationum Ex *ANTIQUIS.*

Prægressis Historiis notabilem admodum Casum ex *Prospero Alpino, de Præsagienda Vita & Morte Lib. IV. Cap. 4.*, adjiciam: *Casum*, in quo Idea *Solani* tam perfecte, omnibus fere suis circumstantiis, anticipata est, ut, nisi *Solanum*, antequam ego ipsi ostenderem, nullam hujus loci, imo ne Auctoris quidem, cognitionem habuisse, certo scirem, illum inde primam suarum Observationum Ideam hausisse, neutiquam dubitarem. Sed tam longe ab omni hujus loci cognitione aberat, ut, dum ei monstrarem Casum, bonus Vir, summa abreptus lætitia, per cubiculum tripudiaret, exclamaretque, quod, si eum *Hispaniæ* Regem creassem, non potuissem sensibilius ipsi oblectamentum parere! Sub hisce Conditionibus, ista *Alpinianæ* Observationis cum *Solani* Factis conspiratio Demonstrativum

tivum pro generali hujus idea argumentum formare videtur, uti evidenter ex ipsa Observatione apparebit; quæ sic sonat:

- - - - *Quare senes, atque Pueri, ex hoc Pulsu* (intermittente scilicet) *non ita pessime se habent, ut Juvenes, in quibus plane exitiosos esse hos Pulsus Intermittentes voluit* Galenus. *Tamen, etsi plerumque hoc verum experiatur*, Bassani *Juvenem, annos natam supra viginti, Pleuriticam, abhinc multos annos apud* Hermetem Furcaturam, Juris Consultum Clarissimum, *vidi, in qua usque ad diem quartam Pulsus ita Intermittebat, ut prima die singulis septem aut decem Pulsibus Intermitteret spatio unius Pulsationis, & secunda singulis sex aut quatuor, & tertia singulis tribus, & quarta, qua die morituram quisque merito judicasset, cum delira prorsus esset, nihil expueret; difficillima respiratio, inquietissima, & cum Pulsus singulis pulsatis duabus Pulsationibus ita Intermiserit, ut immobilis multo intervallo Arteria maneret, Pulsusque subsequentes languidi exilesque essent, nihilominus, præter omnium spem, simul*

 cum

*cum Urina, multa materia crassa pitui-
tosa excreta, nulla alia observata Eva-
cuatione, aut Judicio facto, convaluit.*
Addit, *Sed hujusmodi Casus raro fiunt,
suntque in Arte Medendi veluti Monstra.*
Verum ex *Solanianis*, aliisque, quas ego
deinde institui, Observationibus eviden-
ter constat, ultimam hanc Auctoris anim-
adversionem, a *Galeni* potius Aucto-
ritate, quam ab Experientia, derivatam
esse; idque ulterius confirmatur Ratio-
nibus, quas ambo istius opinionis funda-
menta statuunt; hæc enim mere specula-
tivæ deprehenduntur: sed ipsius Facti
cum *Solani* Observationibus consensus
adeo sensibilis est, ut prima fronte pro
aliquo ex propriis hujus Factis impone-
ret. Nihilominus Casus ille duabus Con-
ditionibus a *Solanianis* Prædictionum Re-
gulis videtur discrepare: etenim 1°.
Prosper Alpinus nullam de Pulsus Inter-
mittentis Mollitie mentionem facit, licet
hanc Crisis per Urinam indicium *Solanus*
statuat*: 2°. *Prosper Alpinus*, Morbum
solo Urinæ fluxu terminatum fuisse, aper-
te memorat; cum juxta *Solanum* notabi-
lis

* Vide p. 6. n. 6.

lis Diarrhœa eidem juncta esse debuisset *. Primæ Differentiæ respectu, observandum est, *Prosperi Alpini* silentium non absolute Pulsus Mollitiem excludere; nec revera memoratus ab eodem Morbus Mollitiem illam excludit; cum varios, Pleuritidum nomine, Morbos descriptos fuisse, constet, qui genuinæ Pleuritides non fuerant; hisque ultimis tantum Pulsus Durities essentialiter conjungatur. Supra dictarum Differentiarum Altera, realis est, & distincte expressa, quam ego, nec negare velim, nec conabor eludere. Distinctio forte inter Diarrhœæ Criticæ indicium, illudque, quod Evacuationem per Urinam notat, non adeo accurata est, ut existimavit *Solanus*: 1°. enim Pulsus Intermittens utrique communis est; 2°. Crisis per Urinam Diarrhœæ facile conjungi, imo & sub ipsis Alvum exonerandi conatibus insensibiliter fere absolvi, potest; 3°. agnoscit *Solanus*, se nunquam Crisin per solam Urinam observasse; ideoque determinare non posse, utrum talis Crisis absolutum aliquod univocum signum habeat. Hac de re eo majori cum ratione dubitare

* P. 6. n. 4.

re licet, quia Crises hæ facilius, ac reliquæ, inter se invicem convertibiles videntur. Etenim Observando innotuit*, Fluida, intra Intestinum Rectum, ac inferiorem Coli partem, contenta, absorberi per Vesicam, & cum Urina expelli, posse. Præterea exigua quædam resistentiæ in Renalibus vel Mesentericis Arteriis inæqualitas communem Sanguinis in hisce partibus distributionem subito mutare, & evacuandos hujusmodi Morbosos humores, qui una cum Sanguine per inferiorem Aortam fluunt, reciproce, sive ad Renes, sive ad Intestina, amandare, valet. Sed, qualescunque hæ conjuncturæ fuerint, evidens est, *Solanum* materiem istam neutiquam exhausisse; quam ad ulterius per Experientiam examen referre decet.

Interim, in descripto per *Prosperum Alpinum* Casu, Intermissionis Periodos, gradatim, uti adpropinquaret Crisis, eadem perfecte, quam deinde *Solanus* observavit, ratione, breviores, frequentioresque, evasisse, sine sensibili admodum ob-

* *Baglivius* tale exemplum habet.

oblectamento considerare non possumus *. Manifeste ridiculum foret, adeo regulares Naturæ Operationes, adeo uniformes, ab initio usque ad finem Morbi, Pulsuum successiones, cæco Casui adscribere. Revera Observatio isthæc ducentis fere annis muta mansit, &, tanquam inutile fortuitum Monstrum, vel merus Naturæ Lusus, neglecta jacuit; jam vero, Factis, a *Solano* observatis, resuscitata, una cum his, Criticas Naturæ Operationes palam ebuccinat, suaque vice, ipsis illis Factis, unde vitam & sensum suum accipit, novum evidentiæ ac soliditatis gradum impertitur; dum juncta omnium supra memoratorum Casuum Auctoritas novum luminis radium Medicinæ adserit, cuius adminiculo, latentia Naturæ Opera detegi, Crisesque certius, quam hactenus fieri potuit, prævideri queant.

Dubitari nequit, quin varia ejusmodi Facta frequenter acciderint; verum aut totaliter neglecta, aut, quod re ipsa fere coincidit, imperfecte tantum adnotata,

 fue-

* Vide p. 2. n. 2. & 3.

fuerunt; quoniam Nexus, qui supra memoratis Pulsibus ac eorum Crisibus intercedit, donec eum *Solanus* in lucem produceret, nunquam observatus fuerat. Sic *Wierus* * Observationem refert, quam nec intellexit ipse, nec satis distincte expressit, licet illi, qui *Solani* Facta norunt, descriptionis obscuritatem penetrantes, facile percepturi sint, quo vergat. *Nobilis Vir in Febrim, ut vocat Auctor, Malignam incidit, quæ ab ipso initio variis evidentibus indiciis, Primarum Viarum Saburra, Bilioso Vomitu, Eructationibus, Pulsuque Inæquali, stipata erat. Sexto die Alvinæ Fæces admodum biliosæ ac fœtidæ prodierunt; subsequens nox violentam omnium Symptomatum exacerbationem attulit; & septimo die mane Pulsus ad tertiam quamlibet Pulsationem incepit Intermittere: verum, non obstante tam universaliter per Scriptores Medicos lethalis pronuntiati Symptomatis adparitione, ex prospero omnium reliquorum signorum statu, ægri sanationem* Wierus *præsagiit,*

* Apud Georg. Horst. Sen. Obs. Med. Singular. L. XI. Obs. 8.

sagiit; ipsumque insigniter circa Stomachum laborare, & frequenter nauseare, expertus, præscripsit, postero, octavo scil. die, sumendum, Purgans, quod uberrime operabatur, ægrumque integre allevabat. Nono die evanuit Intermissio; ægerque malo suo liberatus mansit.

Nullam hic, die septimo, de Mollitie, vel Duritie, Pulsus, respectu Nauseæ, mentionem, nullam Spontanearum Naturæ Operationum, quæ cum Purgationis effectu confusæ sunt, certam cognitionem, nullam Vomitus atque Eructationis, à primo eorum in initio Febris ortu ad septimum diem usque, distinctam notitiam, deprehendimus. Attamen ex iis, quæ clare in hac Historia expressa sunt, notabilem variarum Criticarum circumstantiarum cum Pulsus Intermissione concursum facile deducere possumus. Hic, ab ipso initio, Inæqualis erat, cum evidentibus Saburræ Primarum Viarum indiciis; sexto die Morbosa Materies incepit deorsum moveri per Anum; proxima

nox generalem Symptomatum exacer-
bationem (notum ſatis omnium notabi-
lium Criſium Prodromum) attulit; ſep-
timo (qui *magnus dies Criticus* dicitur),
ſub favente Morbi adſpectu, Pulſus Inter-
miſſio, Nauſea, ac Vomendi Conatu, quæ
aliquot ante dies ſuſpenſa fuiſſe videntur,
ſociata, comparuit; denique octavo die
Intermiſſio ſimul & Perturbatio Purga-
tione amota ſunt. Agnoſcere oportet,
in Obſervatione, tam imperfecte relata,
has admodum validas circumſtantias eſ-
ſe. Impoſſibile eſt, conjectura adſequi,
quot aliæ ejusdem indolis magis etiam-
num caſtratæ ac defiguratæ, imo & ab-
ſolute neglectæ, fuerint. Sed certe inter
illas, quæ adnotatæ ſunt, tales ſolummo-
do deſcriptionis obſcuritatem minus
ſubierunt, quæ valde ſingulares erant, &
(ſi Phraſin, quam in *Præfatione* adhibui,
repetere liceat) tales, quæ, mera ſuæ evi-
dentiæ vi, præjudicia ſimul, & Obſerva-
toris incuriam, perrumpebant. Factum,
ab *Alpino* relatum, veriſimillime perdi-
diſſet Poſteritas, niſi Natura Subjecti,
quod tractabat Auctor, directe eo dedu-
xiſſet;

xiſſet; nec hæc ipſa forte illud nobis conſervaſſet, niſi idem omnibus ſuis conditionibus adeo fuiſſet memorabile. Profecto rem hanc fere neglexiſſe videtur *Alpinus*; namque eam, poſt aliquot annorum intervallum, ex memoria tantum chartæ mandat, & circa Pulſationum, ad quas Intermiſſio recurrerit, Periodos hæſitat. Nunc vero, cum aperta ad tantos profectus ſcena ſit, atque adeo utilis Humano Generi proſpectus pateat, ſumma cum ratione, a cognita *Britannorum* Medicorum exactitudine & humanitate exſpectari poteſt, ut alacriori ſpiritu examinent, Scriptoque conſervent, tales Caſus, qui circa hocce Subjectum in propria noſtra Regione ſeſe offerent. Revera diu Objectum fuit, jamque etiamnum multorum animis inſedit, Climata Septentrionalia regulari illi Morborum ac Criſium, ab *Hippocrate*, aliisque *Veteribus*, in *Græcia* obſervato, decurſui penitus repugnare. Hæc Objectio veriſimiliter ex *Aph. 8. Sect. 3.* deducta fuit; ſed, quamvis certo quodam gradu vera deprehendatur, admodum tamen probabilis ratio ſuper-

ſupereſt, exiſtimandi, Concluſionem juſtos terminos longe excedere, cum, ut in 2ª. *hujus Operis Parte Sect.* 1. *Cap.* 4. demonſtrabitur, Opinioni contrariæ, ex ipſis Factis, a noti ingenii & annoſæ experientiæ Medicis inſiſtatur.



PARS

PARS SECUNDA,

VARIAS NOVAS

Circa

Idem Subjectum

OBSERVATIONES continens;

Una cum

ANIMADVERSIONIBUS


In Leges Praedictionis


SOLANIANAS,

Et

Monitis quibusdam Generalibus, de Natura Crisium, earumque apud ANTIQUOS Consideratione, & apud MODERNOS Neglectu.

Auctore JACOBO NIHELL, Med. Doct.





SECTIO I.

Continens Productum propriarum mearum Observationum circa Nexum a SOLANO observatum inter antememoratos Pulsus & Crises.

CAPUT I.

Productum propriarum mearum Observationum circa Pulsum Dicrotum.

Ex 121 Hominibus, in quibus Pulsum Dicrotum observavi, septem solummodo, neque Narium Hæmorrhagiam passi sunt, neque ullis Symptomatibus afflicti, quæ pro Inclinatione ad talem Hæmorrhagiam, aut ejusdem deficientis Sequela, venire possent. Notari meretur, neminem ex his septem eo tempore sub Acuti Morbi lucta, aut insigni quodam

Natu-

Naturæ conatu, laborasse, eorumque binis Pulsum Dicrotum fuisse irregularem.

Reliqui 114, omnes aliquibus, plerique multis, subsequentium Symptomatum afflicti erant; scilicet *Universi Capitis dolore, ejusdem gravitate, vertigine, delirio, stupiditate, comatosis lethargicisque adfectibus, frontis, temporum, radicis totiusque tractus nasi, aurium, atque oculorum, doloribus, aliquando etiam coarctatione, subductione, & insolita pulsatione, adjacentium Arteriarum; pruritu Narium, sternutatione, & plenitudine quadam, qualis in Coryza adesse solet, surditate, aurium susurris, purulentæ vel ichorosæ materiæ ex iisdem effluxu.* Omnium horum Symptomatum maxime communia & notabilia erant illa, quæ Nasum adficiunt.

Ex toto hoc Numero, videlicet 114, quadraginta duo aliquibus, multisve, memoratorum in præcedenti paragrapho Symptomatum simpliciter adfecti erant. Ex ultimis hisce, triginta quinque iisdem insigniter admodum torquebantur; quin & aliqui duarum, trium, Septimanarum, imo

imo & integri Menſis, ſpatio, ſi Pulſus Dicrotus perſeveraret tamdiu, ægrique intra Noſocomium manerent. Ex hiſce triginta quinque, novem Pulſum Dicrotum irregularem atque obſcurum habuerunt. Septem, ex quadraginta duobus primo loco memoratis reſidui, ſupra dictis Symptomatibus imperfectius laborarunt, & citra evidentem cum Pulſu conſenſum, qui in duobus, ex his ultimis, plerumque anomalus occurrebat.

Reliqui ſeptuaginta duo, omnes, quidam modica, quidam parciori, & quidam exigua admodum, quantitate Sanguinem dimiſerunt. Septem, ex hoc Numero, cum conditionibus adeo æquivocis Hæmorrhagiam paſſi ſunt, ut abſolute adfirmare nequeam, an Sanguis ex poſtica parte interni Narium tractus in Fauces ac Trachæam ſtillarit, uti quandoque obſervavi, an potius immediate ex ipſis hiſce partibus exſudarit: in uno, ex ſeptem illis, Pulſus Dicrotus irregularis erat.

Reliqui ſexaginta quinque ſequentibus circumſtantiis Narium Hæmorrhagiam ſubibant.

Undecim ſcilicet, antequam meæ Obſervationi ſubjicerentur, quidam immediate, quidam paucos ante dies, eadem jam defuncti fuerant: ex hoc Numero, quatuor nonniſi inſtabilem Pulſum Dicrotum, leviaque admodum Capitis Symptomata, exhibuerunt.

Reliqui quinquaginta quatuor ſub Obſervationis meæ decurſu Hæmorrhagiam patiebantur.


In eorum octo, Hæmorrhagia, & alia, quæ comitabantur, Capiti inimica, Symptomata, Pulſuum Variationibus haud regulariter reſponderunt, nec Pulſus ipſe in illorum quatuor regularis deprehenſus fuit.

In triginta, ex reliquis quadraginta ſex, Hæmorrhagia, Symptomataque, cum Pulſu Dicroto, toto, quo hic perduravit, tempore, exactius reſponderunt. In ſex Pulſus irregularis erat.

Denique in reliquis ſedecim, inter quos duo Pulſum irregularem habebant, Hæmorrhagia, & Symptomata, adparuere,

re,

re, cum æquali ad Pulſus Dicroti durationem conſtantia: etiamſi quinque tantum, aut ſex ad ſummum, exacte juxta Conditiones, a *Solano* in ſuis Prædictionum Regulis memoratas, Sanguinem excernerent.



CAPUT II.

Productum propriarum mearum Obſervationum circa Pulſum Intermittentem.

Ex viginti tribus Hominibus, in quibus Pulſum Intermittentem obſervavi, unus ſolummodo regularem ac permanentem Intermiſſionem habuit; & in hoc, juxta traditas a *Solano* Regulas, exſpectationi meæ Diarrhœa reſpondit.

In aliis viginti duobus, Pulſus Intermiſſio irregularis erat, nec permanens; & licet Diarrhœæ inde ſignificatæ, juxta *Solanum*, abſolute confidere non lice-

ret *, nihilominus eorum ſeptendecim unum, vel plura, ſequentium Symptomatum valde regulariter patiebantur; *Tormina* ſcilicet, *Borborygmos*, *Flatus*, *Hæmorrhoides*, *Alvum Laxam*; &, in paucis quibusdam, *Inſolita Alvi Conſtipatio*, *aut Indigeſtio quædam*, aderat.

In duobus, ex quinque reſiduis Caſibus, Symptomatum horum cum Pulſus Intermiſſione conſenſus magis irregularis ac æquivocus, & in tertio quodam exiguus admodum, deprehendebatur; cum hac tamen notabili circumſtantia, quod, poſtquam purgatus eſſet æger, Intermisſio gradatim diminueretur, & evaneſceret.

Denique, ex toto Numero, quinque illorum in ultima paragrapho memoratorum Caſuum, duo ſolummodo reliqui omnibus prædictis Symptomatibus plane liberi permanſerunt.

* Pag. 2. num. 3.

CA-



CAPUT III.

Generales Animadversiones circa totum Subjectum.

Ex prægressis Observationibus apparet, quod, respectu omnium, in quibus ego Pulsum Dicrotum observavi, istorum, qui vel Hæmorrhagiam Narium passi sunt, vel manifeste saltem ejusmodi Symptomatibus adflicti, quæ pro Inclinatione ad talem Hæmorrhagiam, aut ejusdem deficientis Sequela, venire possent, ad illos, qui neutro horum fuerunt adfecti, Proportio aliquantum major sit, quam sedecim ad unum.

Istorum, qui variis tantum Capitis Symptomatibus impetebantur, ad totum Numerum, aliquanto major, quam unum ad tria.

Istorum, qui regulariter hisce Symptomatibus cruciabantur, ad totum, fere ut duo ad septem.

Istorum, qui Sanguinem dimittebant, ad totum, fere ut quinque ad octo.

Istorum, qui Sanguinem certo certius de Naso excreverunt, ad totum, fere ut octo ad quindecim.

Istorum, quorum Hæmorrhagiæ, Symptomataque post Hæmorrhagias remanentia, Pulsui mediocriter respondebant, ad totum, fere ut unum ad quatuor.

Istorum, quorum Hæmorrhagiæ ac Symptomata Pulsui exactius responderunt, ad totum, ut duo ad quindecim.

Istorum, quorum Hæmorrhagiæ *Solanianis* Legibus exacte respondebant, ad totum, ut unum ad viginti.

Juncta Proportio istorum, in quibus vel supra memorata Symptomata, vel Hæmorrhagiæ, quamdiu Pulsus Dicrotus subsisteret, regulariter perseverabant, ad totum, ut duo ad tria.

Inter omnes illos, in quibus Narium Hæmorrhagias observavi, postquam Observationum *Solanianarum* cognitionem adeptus sum, in duobus tantum Pulsus Dicrotus deerat.

Hæ

Hæ Obſervationes, licet iis, quas *Solanus* adlegavit, longe inferiores, nihilominus omnino novæ ſunt in Medicina, ac, conſonis etiam non ſuſtentatæ Factis, admodum mirabiles videri debent.

Jam vero, quoad mearum Obſervationum Defectum, neceſſarium eſt animadvertere:

1. Quod, cum ex centum & quatuordecim Hominibus, in quibus Hæmorrhagias & ſupra dicta Symptomata obſervavi, viginti octo, id eſt quarta fere pars, irregularem Pulſum habuerint, regularis, ſive Symptomatum, ſive Hæmorrhagiæ ipſius, adparitio exſpectari non potuerit.

2. Quod Summa Pulſuum irregularium, undecim, in Caſibus irregularibus triginta tribus, exacte unam tertiam totius conſtituat: altera vero Pulſuum irregularium, ſeptendecim, in Caſibus magis regularibus octoginta & uno, non omnino unam quintam totius efficiat. Unde apparet, ſumpta regularium atque irregularium Caſuum Proportione, ultimos

mos hos plerumque tales fuisse, qui irregulari Pulsu stipati erant.

3. Quod ex toto Numero, in universum, vix quinque, aut sex, Acutis Febribus laboraverint; harumque nulla talis fuerit, quales, juxta Practicos nostros Auctores, ad Hæmorrhagias multum inclinare solent; & quod illæ, quas ego observavi, Hæmorrhagiæ, ut plurimum, exigua quantitate, & absque insigni ullo Naturæ impetu, contigerint.

4. Quod in quibusdam ægris Hæmorrhagiæ, quas ob Pulsum Dicrotum exspectabam, non eruperint, donec quadam Pressionis aut Concussionis Specie, Spontanea ex. gr. Sternutatione, Alvi exonerandæ Nixu, vel Vomitu, adjuvarentur: quæ in his, ad superandam Vasorum Nasalium resistentiam, necessario requirebatur. Hæc Resistentia in variis illorum, juxta quos Observationes meas confeci, ex naturali morbosave harum partium siccitate, & propriæ iisdem Muci secretionis defectu, manifestissime innotescebat. Atque ita quidem vera ad Narium Hæmorrhagiam Propensio, sine ulla

ulla Sanguinis apparitione, potest subsistere.

5. Quod ægrorum, tali Pulsu præditorum, nonnulli, qui exigua valde copia dimittebant Sanguinem, aut Mucum tantummodo Cruentum emungebant, licet variis diebus ita adfecti forent, id tamen mihi indicare, operæ pretium non duxerint. Subinde, mero Casu, detexi rem. Forte & alii, me inscio, eandem conditionem passi sunt. Quousque Circumstantiæ istæ, ad excitandam inter *Solanianas*, measque, Observationes differentiam, concurrerint, Lectori determinandum relinquam.

Hoc etiam addendum habeo, Observationes meas, in genere, non adeo completas esse, ac desiderassem. Omnes, paucis admodum exceptis, factæ fuerunt *Gadibus* in Nosocomio S^ti^. *Joannis de Dios*. In plerisque ægris, primam Dicrotorum atque Intermittentium Pulsuum adparitionem, ultimumve terminum, observandi opportunitas non suppetiit; cum de Pulsus, Observationibus meis prævio, statu haud satis instruerer,

& plerique ægri, antequam hi Pulsus cessassent, Nosocomio valedicerent. Quapropter ægrorum, Pulsibus ejusmodi instructorum, præsentem statum illi sub quo ante & post fuerant (unde non exiguum lumen accessisset) comparare haud poteram.

Neque adeo mihi favit Fortuna, ut Pulsus Incidui occurrerent, aut illi Casus, ubi Dicroti vel Intermittentes Pulsus gradatim (uti *pag. 2. n°. 2.* dictum fuit) a majoribus ad minores adparitionis suæ Periodos moverentur. Nullam etiam de Crisi per Vomitum, vel per Urinam, peculiarem Experientiam possideo. Hi igitur Casus ad ulteriorem Experientiam integre referri debent.

Quamvis autem, ob memoratos Defectus, propriæ meæ Observationes nullam mihi potestatem tribuant, ut perfectum absolutumque de *Solanianis* Prædictionum Legibus judicium statuam, quædam tamen singularia continent, quæ certo inde determinare possim.

1°. Apparet, dari revera Nexum quendam Generalem inter memoratos a *Sola-*

no

no Pulsus & relativas eorundem Crises; cum decima septima solummodo pars illorum, in quibus ego Pulsum Dicrotum observavi, Hæmorrhagiis Narium, variisve Capitis Adfectibus, intacta manserit; atque interim (etiam si Casus irregulares abstrahantur) duæ tertiæ totius Numeri partes Alterutro, & longe maxima horum pars Utroque, notabiliter adfecta fuerit; Sternutatione præsertim, Nasique Plenitudine ac Pruritu; quæ frequentiora, constantioraque, observavi in talibus, qui Hæmorrhagia ipsa immunes erant.

Quandoquidem meæ, circa Pulsum Intermittentem, Observationes paucæ sint, & satis uniformes, nullam illæ hic recapitulationem exigunt. Recentem haud dubie Lector de Laxa Alvo, Symptomatibusque, quibus hæc stipata erat, ideam retinuit. Ad confirmationem illius inter Pulsum Intermittentem ac Diarrhœam Nexus, addere conveniet id, quod mihi a *D^no. Ferren*, Primario apud *Parisienses* Medico, adseveratum fuit; videlicet, Observasse se, Pulsum hunc Regulare adeo Saburræ in Primis Viis col-

collectæ Symptoma esse, ut Intermissio, purgato ægro, evanesceret; seque ideo, ob repetitam ejusdem rei Experientiam, Intermittentem in Acutis Febribus Pulsum pro legitima exhibendi Purgantis Indicatione adsumere. Observatio certe *Solanianis*, meisque, valde analoga! Hæc Animadversio, cognito quodam in Praxi negotio, ulterius corroborari posset; scilicet, quod Pulsus Intermittens non raro Vermium, in Primis Viis nidulantium, Symptoma exhibeat. Qualiscumque hujus rei Causa fuerit, Factum utique Proposito Meo manifeste favet.

2°. Non obstante varia Evidentia, quæ ab initio hujus Operis in favorem Nexus, inter supra memoratos Pulsus & relativas eorundem Crises observati, ex *Solano*, aliis in *Præfatione* adlegatis Medicis, *Prospero Alpino*, Illis, qui sub finem præsentis Operis sequentur, ac denique ex me ipso, adparet; Omni, inquam, hac Evidentia non obstante, ex Numero illorum, qui, juxta aliquot mearum Observationum, sub Pulsu Dicroto nullam Narium Hæmorrhagiam passi sunt, vel

eam-

eamdem non exacte secundum *Solani* Regulas patiebantur, constat, Pulsum hunc Inclinationis ad Hæmorrhagiam Narium Signum potius & Effectum, quam, uti Ipse sine ulla hæsitatione pronuntiaverat, absolutum certumque ipsius talis Hæmorrhagiæ Indicium, habendum esse. Quod autem verus dictæ Inclinationis Effectus sit, ex hujus Pulsus evanescentia, dum Hæmorrhagia, omnesque ad novam alteram dispositiones, non amplius subsistunt, legitime concludere possumus. Hocque aliquoties observavi*.

3°. Cum ipsi Hæmorrhagiæ ex Pulsus Dicroti adparitione non semper absolutè possimus confidere, multo minus Tempus, quo Hæmorrhagia accidet, exacte prædeterminari poterit; qualescunque demum remoræ rationes fuerint. Idque etiam mihi ab Amico meo *D*^no^. *Joanne de Pedraza y Castilla* confirmatum fuit, qui, licet *Solanianarum* Prædicendi Regularum veritatem frequenter expertus (uti ad

* Vide Parte II. Sect. 2. Cap. 1. Obs. 4. & 5. Varia ejusdem rei exempla ex Aliis per totum hocce Opus passim videri possunt, sed præcipue Parte I. Sect. 2. Cap. 1. Obs. 7. & Part. II. Sect. 2. Cap. 2. Obs. 7. & 8.

ad Calcem hujus Operis ex aliquot Casibus adparebit), nimis tamen iisdem confidendo, aliquoties deceptus fuit. Quin & *Solanus* in quadam, paucis postquam *Antequera* redieram mensibus, ad me data Epistola ipse confessus est, quod in variis, qui ipsi exiguo ante tempore occurrerant, Casibus indicatæ per Pulsum Crises, diversorum in Ductibus excretoriis, Fluidisve evacuandis, impedimentorum respectu, intra Tempus suis Prædictionis Legibus limitatum, minus regulariter accidissent: attamen, remotis hisce obstaculis, easdem immediate comparuisse, testatus est.

Reperiuntur quædam Hæmorrhagiarum Species, quæ probabiliter nullum cum Pulsu Dicroto Nexum habere queant; tales scilicet, quæ citra ullum Naturæ conatum fiunt, & ex simplici capillarium Nasi vasculorum dilatatione, erosioneve, sponte eveniunt: quandoquidem, Pulsum Dicrotum Generalis illius Solidorum Status, qui, cum aliquo impetus ac contentionis gradu, ad Hæmorrhagiam Narium tendit, effectum esse, concipio.

Jam

Jam ad Generales quasdam, circa Pulsum Intermittentem, Animadversiones transeo; qui, cum longe facilius, quam Pulsus Dicrotus, percipiatur, multarum etiam exquisitarum Observationum Subjectum fuit; dum integre fere neglectus jaceret alter. Illorum, quibus Intermittens Pulsus diu Familiaris fuerat, Dissectio plane in lucem eduxit Causas, unde is, in variis Cordis, Sanguiferorum eidem adjacentium Vasorum, Pulmonumque, Morbis ac Impedimentis, producatur; & Theoria Mechanica aptos nos reddidit, Pulsus Intermissionem ex iisdem Causis demonstrandi. Omnes ejusmodi Casus, quos ingeniosus quivis Medicus haud dubie novit, evidentissime totidem istius Regulæ, qua Pulsum Intermittentem pro Criticæ Diarrhœæ Indicio *Solanus* statuit, exceptiones suppeditant. Sed similium Casuum Auctor, qui Legendo valde parum profecerat, aut non attenderat saltem, nullam plane notitiam possidebat. Evidens est, in universum loquendo, Pulsum Familiarem non posse esse Criticum †.

Præ-

† *Ballonius* alicubi in suis *Epidemicis* Pulsus Dicroti Fa-

Præter cognitas Familiaris Pulsuum Intermissionis Causas, alias quasdam ex evidentibus Principiis demonstrare possumus, quæ instabilem, Crisique omnino extraneam, Intermissionem excitant; Hujusmodi sunt Spasmi, Convulsiones, Inflammatio Cordis, Debilitas, Insolita Repletio aut Inanitio, cum paucis aliis æque obviis, quæ Judicio pollentem Medicum non decipient. Ejusmodi Casus totidem etiam Generalis, circa Pulsum Intermittentem, *Solanianæ* Regulæ exceptiones pariunt.

Sed, Pulsus hujus adparitionem ad tales, quales hactenus memoravi, Casus cerestrictam non esse, ex Materia Facti certo constat. Unde varias alias Causas supposuerunt, nullas autem plane demonstrarunt, aut cum tolerabili quodam certitudinis gradu particularibus Casibus adplicuerunt, Theoretici. Hæ igitur in Possibilitatum mere abstractarum Classe remanere debent, quas vera Eruditione instructi Viri non curant. Unde certo col-

Familiaris Exemplum habet; unicum hujus generis, quod unquam deprehendisse memini.

colligitur, nos in omni ejusmodi Casu, sufficientibus, sub præsenti Doctrinæ statu, rationibus minime instructos esse, ut Intermittentem Pulsum Diarrhœæ Indicium renuamus.

Hoc integre ab Experientia pendet, & per eam determinari debet; licet Causa Mechanica Relationis dicti Pulsus ad Diarrhœam, vel aliorum Criticorum Pulsuum ad singulas suas Evacuationes, perpetuo maneret Mysterium; vale hactenus esse, confiteri cogimur.

Propria Experientia præsentio, quam, primo hujus Tractatus adspectu, ad formandas secum de illorum Pulsuum Causis mille diversas Explanationes, proni futuri sint Ratiocinatores plurimi; *Caussis*, ab omni Crisis idea penitus alienis; verum, exactam ad Circumstantias, sub quibus Pulsus tales frequenter accidunt, Attentionem inania hæc Imaginationis Phantasmata subito dissipaturam esse, non minus prævideo; speroque, fore, ut hoc Monitum æque efficaciter eadem præcavere valeat.

In media iſta Obſcuritate, ex variis, quas circa reciprocos Pulſuum Criticorum ab uno ad alterum Carpum Tranſcurſus confeci, Obſervationibus, licebit, credo, conjicere, ipſos neutiquam a Cauſa quadam, ad Cor tantummodo, vel Generale Vaſorum Sanguiferorum Syſtema, limitata, procedere: etenim Demonſtrari poteſt, in utroque Caſu, dextri ſiniſtrique lateris Arterias, per communem Aortæ truncum, æqualiter inde adficiendas fore, niſi unius lateris Vaſa, ſtructura aut robore, ab illis, quæ oppoſito lateri inhærent, differant; quod ſæpe ultimo hoc reſpectu obtinere, fateor, quia, in univerſum, evidentiorem in dextro, quam in ſiniſtro, Carpo, Brachio hujus lateris plerumque minus exercitato, ac debiliori, Pulſum Dicrotum obſervavi. Verum evidens eſt, hanc tunc, omneſque alias, ex præſenti Hypotheſi natas, differentias ſtabiles, neque in eadem Perſona ab uno latere in aliud varie Transferendas eſſe. Poſituræ etiam, vel Situs Corporis, diverſitas, adeoque inæqualis Axillarium Brachialiumve Arteriarum diverſis temporibus Compreſſio,

ſio, pro dicta Pulſus talis in eadem Perſona Translatione adlegari poſſet; ſed iterum, ſæpe nimis regulare deprehendi Symptoma hoc, ut Cauſæ adeo inſtabili poſſit attribui †.

Nihil aliud igitur, cui proprie adſcribi queat hocce Phænomenon, remanet, præter Nervos (Primas nempe ab Origine Corporis Motrices Potentias), quos, tam vulgari Experientia, quam Anatome, in diſtinctis ſuis diſtributionibus diſtinctas actiones habere, & diverſimode unum alterumque Corporis latus eodem tempore adficere poſſe, novimus.

Inter alias quasdam Differentias, Dicrotos atque Intermittentes Pulſus, qui prius in utroque Carpo æquales fuerant, in dextro Carpo, aliquot horarum, imo integræ diei, ſpatio, diſparuiſſe penitus, cum interim in ſiniſtro ſolita ſua eviden-

 tia

† Quod autem, illam Pulſuum Criticorum Translationem cuicumque Arteriarum Compreſſioni non deberi, evidentius etiamnum probat, hoc eſt, quod Pulſus Dicrotus ſubinde minuatur, quin & evaneſcat, dum interim Pulſus iſte, in quo ipſo id accidit, plenior liberiorque inſurgit. Vide Part. 2. Sect. 2. Cap. 1. Obſ. 8.

tia persisterent, tuncque iterum ex hoc in priorem transiliisse, comperi. Unde, ob supra dictas rationes, admodum probabiliter inferre licet, non solum Translationem, aliasque Pulsuum illorum Differentias, sed & ipsos Pulsus, & immediato Nervorum in Cor, & junctum ipsi Vasorum Systema, Influxu procedere, quæ omnia Casum, Causis suis a vulgaribus Pulsuum irregularitatibus admodum distinctum, innuunt.

Quantumvis Observationes meæ, generaliter loquendo, iis, quas adlegavit *Solanus*, cedere debeant, agnoscendum est nihilominus, ipsas, in universum, ad ejusdem, quam ille proposuit, rei demonstrationem tendere, simulque, a numerosis etiam, quæ Auctor produxit, Testimoniis abstrahendo, insignem fidei gradum Factis ejus adjicere: hæc autem licet vera sint, illis tamen, quæ ipse observavi, edoctus, omnes circa hoc negotium *Solani* Observationes æqualis, cum iis, quas edidit, exactitudinis roborisque fuisse, vix existimem. Rarissimorum hujusmodi Factorum numero ac varietate

man-

mancipata videbatur ejusdem Imaginatio; eo usque, ut in Casibus, quos una observavimus, si Pulsu indicatæ Evacuationes tardius nonnihil contingerent, semper, ut moras tales cum absoluta Indicationis certitudine reconciliaret, minutas quaslibet rationes circumstantiasque venandi proclivem invenerim. Persuasus erat, se, Observationum suarum adminiculo, fixam quandam perfectamque Crises Prædicendi Methodum attigisse; uti ex ipsius Legibus in Operis hujus Exordio animadverti potest; & Imaginationis, novarum rariorumque rerum Observatoribus nimis communi, præcipitantia, pro completo, hoc respectu, Invento eadem divulgabat. Adeo difficile est Humanæ Indoli, sub blandientibus ideis, & propriæ in qualicumque successu satisfactionis exsuperantia, stabile præservare Judicium!

Manifeste patet, quantum ego a *Solano* differam, ad simplicem inter observatos a me Pulsus & relativas eorumdem Crises Nexum, universum Negotium reducendo: *Nexum*, per quem Critici Natu-

turæ Impetus in lucem producti sunt, &, inconsultis Antiquorum Indiciis, sæpe ad aliquot dierum distantiam prænuntiatæ Crises; per quem igitur eadem in posterum non minus fieri poterunt. Hacque solummodo Intentione præsentes Observationes communico.

Sed simul etiam convictus sum, Materiem illam, cum Cautela, ac Patientia, tractandam esse. *Cum Cautela*, ut peremptoria Prognosis evitetur, vel falsa Crisis spes, dum forte inefficax tantum in eamdem Propensio obtinet: *Cum Patientia*, ut omnia, quæ Criticos Pulsus stipant, Symptómata accuratissime perpendantur, ac constanter insistatur Observationi similium Casuum, licet res, sive ob Experientiæ in distinguendis hisce Pulsibus defectum, sive ob Casuum ipsorum irregularitatem, non statim pro voto succederet. Cuicumque non libuerit hisce Conditionibus examinare Negotium, ille potius omnino abstineat.

Considerandum est, quam exigua absolutæ in Medicina Certitudinis portiuncula gaudeamus, adeoque quanti momen-

menti, quanti pretii, quodlibet, quod superaddere possumus, Certitudinis Granum æstimare oporteat: hoc autem, variarum ad ejusdem rei demonstrationem circumstantiarum concursu, evidenter acquirimus: quo magis multiplicantur illæ, eo major Certitudo nascitur. Jam vero, etiamsi iste, de quo hactenus egimus, Nexus, futura Experientia, minus adhuc stabilis deprehenderetur, ac mihi adparuit, attamen, cum idem, absque ulla lite, in universum, Factis demonstratus fuerit, liquet, cujuscumque ex supra dictis Pulsibus adparitionem, cognitis aliis Evacuationum Pulsu indicatarum Criticis Indiciis conjunctam, insigniorem pro Crisi evidentiam formare debere, quam ex sola cujuscumque horum Signorum numeri præsentia obtineri possit.

Utut Moderna Praxis generaliter ad avertendas Crises comparata videatur, nihilominus evincunt Facta, eas aliquando, imo & post repetitas Evacuationes, omnisque generis Remedia, contingere †.

 Cum


† Tot hujus rei Exempla in præsenti Opere reperiet Lector, ut opus non sit, ea hic speciatim indicare.

Cum igitur Natura adeo immutabiliter propositum teneat, impendentis Crisis Prænotio ingens certe Privilegium æstimandum erit. In ipsis illis Casibus, ubi non nisi inefficax tantum ad Crisin Propensio obtinet, summi Medico momenti est, ad quam Evacuationem inclinet Natura, vel, ut aliis verbis utar, quis tunc verus Status, quæ Actio, quæ Oeconomia, sit Morbosæ Machinæ, cognoscere. Aut hanc esse oportet, quam sequetur Medicus, Evidentiam, aut nulla erit: & quidquid ad exactiorem, hoc respectu, cognitionem ducit, attentionem investigationemque meretur Omnium, qui Humano Generi bene volunt. Unicus ille est, ad quem adspiro, Scopus, Lectorem porro propriæ suæ in futurum Experientiæ relicturus.

Sed, ut absque Partium Studio examinari queat Negotium, necessarium erit, removere Difficultates quasdam, legitime forsan *Præjudicia* adpellari possent, quæ contra Crises, a *Paracelsi* atque *Helmontii* temporibus, apud plerosque Medicos prævaluerunt, &, ad ipsam hujus

Ope-

Operis mentionem, ingentem male fundatarum Objectionum nubem excitare possent. Has igitur, debita non minus prædominanti Consuetudini reverentia, ac decente, quam requiret Veritas, libertate, in sequenti Capite considerabo.



CAPUT IV.

Monita quædam Generalia, de Natura Crisium, earumque apud Antiquos *Consideratione, &* *apud* Modernos *Neglectu.*

Ex Universali Crisium hac nostra ætate Neglectu, merito metuendum est, ne Opus hoc, tamquam fraudulentum, imaginarium, & ad resuscitandas in Praxi Medica, ab *Hippocrate* traditas, diuque jam explosas, Crisium Nænias directum, multorum Censuram subeat.

Ut Objectionem adeo speciosam præcaveam, Lectorum venia, observare liceat:

1°. Quod in hoc Opere pateat, me unice tantum particularibus Factis insistere; hæcque ipsa solummodo ad Incitamentum (ni pessime fallor, sufficientissimum) Medicæ Artis Cultoribus proponere, ut suas circa hanc rem Observationes instituant, sicque, multiplicata magis Experientia, quousque ea obtineat, & quantum ipsi confidere liceat, determinari possit.

2°. Posito etiam, quod in communi Praxis decursu Crises neque fiduciam, neque exspectationem, mereantur, agnoscendum est nihilominus, Facta, in hoc Opere communicata, suis meritis non plane destitui, quatenus varios particulares Casus, de quibus nunquam ante cogitatum fuerat, in lucem protrahunt, & pro Exemplis serviunt, in ejusdem saltem naturæ Casibus, qui subinde naturaliter debebunt occurrere, cum jam inde toties paucorum annorum spatio observati fuerint.

3°. Præter Criticarum Naturæ Inclinationum notitiam, quam Facta hæc nobis in universum suppeditant, negari ne-

nequit, ex datis circa Pulſum Intermittentem Obſervationibus ſpeciale lucrum Medicinæ accedere. Notiſſimum eſt, quam fatales, a Modernis æque, ac Antiquis, Auctoribus, Pulſus hujus in Acutis Febribus apparitioni Prognoſes connexæ fuerint *. Quæ vani terroris, deſperationisque, ſcenæ inde in familiis productæ! quam pudendi Medicorum errores, qui in ejusmodi Caſibus plus ſemel Mortis ſententiam ægris ſuis abſolute pronuntiarunt, eosdem ſub Panicis horroribus derelinquentes, dum interim ſagacior Natura partes ſuas feliciter in occulto ageret, &, juxta communes Leges, perficeret curas, quas negligentior Artifex, propriæ defenſionis cauſa, ignoranter vocabat Miracula! Jam vero, cum terrores illi, erroresque, iis, quæ commemoro, Factis efficaciter ſublati ſint, Intermittens in Acutis Febribus Pulſus nullam amplius ſua ſponte formidinem ingerit, tunc tantum mali ominis evadit, quando alia, ab hoc diſtincta, ſigna concurrunt, indicando, quod non ſit Criticus,

* Hoc ad Pueros, aut provectæ ætatis Homines, non extenditur. *Vide pag. 53.*

cus, Crisis inde significata non conveniat, vel æger nimis debilis haud sufficiat sustinendo. Medicus etiam, vano metu liber, sibi relinquitur, ut pacata mente ex toto Morborum statu judicet, an Pulsus Intermittens periculum, an felicem potius Crisin, præsagiat. Si nullum aliud ex præsenti Opere beneficium Medicina caperet, quam multiplicata innoxiarum Pulsus Intermissionum exempla, in Casibus, ubi generaliter lethales haberi consueverant, non exigui sane momenti negotium existimandum foret.

4°. Licet, ex plerisque Modernis Scriptoribus ac Practicis, Antiquas Crisium Observationes universaliter fere neglectas esse, constet, ausim tamen periculum facere intrepide adserendi, nunquam hactenus probatum publice, Observationes hasce falsas, vel precario adsumptas, esse, aut nostrum earumdem Neglectum a quocumque Auctore legitime justificatum, fuisse.

Equidem me, ea, qua nunc a libris meis absum, distantia, non satis præparatum fateor, ut rei huic vividam illam, cujus capax

pax foret, ex parte Veterum, lucem adferam: attamen, cum id hactenus neglectum fuerit, sequentes, quæ casu penes me jacent, Animadversiones Lectori non injucundas fore, speraverim.

Ut inutiles Objectionum, quæ tam frequenter in Crisium Doctrinam accumulatæ sunt, Farrago removeatur, incipiam, Observando, quod, non obstante Operum. *Hippocrati* vulgo attributorum, confusione, multiplicibusque, quæ in iisdem occurrunt, contradictionibus, nihilominus ex generali totius consideratione appareat; 1, Ibidem non doceri, omnes Acutas Febres per Crisin terminandas esse; 2, Præter Dies *Septenarios* ac *semiseptenarios* dictos (quam proprium, vel improprium, Nomen sit, a præsenti meo Proposito alienum est, quod unice Substantiam rerum sub usitatis earumdem denominationibus respicit); præter hos, inquam, alios etiam, ut quintum, & nonum, pro Diebus Criticis agnitos fuisse; 3, Dies *Pares* similiter in Criticorum classem admissos; Adeoque, quantum ex Factis, quæ his aliis-

aliisque *Veterum* Operibus continentur, colligere licet (omnes acceſſorios errores, & Philoſophicas, imprudenter huic Subjecto intruſas, fabulas, rejiciendo), veram Criſium Doctrinam nihil in genere aliud portare, quam 1°, Quod Dies *Septenarii* ac *Semiſeptenarii* Criticis Febrium Acutarum Revolutionibus, & talibus plerumque Revolutionibus, quæ ad ægri ſanationem tendunt, ſine ulla, præſertim Criſium minus faventium reſpectu, aliorum Dierum excluſione, peculiari quodam modo dedicati ſint; 2°, Quod Criſes per Signa, hoc ſcopo a *Veteribus* deſcripta, præviderí queant.

Si ſemel, hunc nodum eſſe, conceditur, uti ego concedendum arbitror, omnes illæ Objectiones, quæ contra *Hippocratis Aphorismum 61. Sectionis 4.*, aliaque ſimilia loca; contra Numeros *Pythagoricos*, prætextamque Criſium, & Dierum Criticorum, cum Lunæ Curſu Conformitatem *, fuerunt productæ; re-

* Hoc ſimpliciter juxta *Galeni* Hypotheſin, neutiquam vero juxta Rationalem, a doctiſſimo DOCTORE MEAD in ſuo *de Imperio Solis & Lunæ Tractatu* propoſitum, ſenſum intelligo.

reperta in variis *Septenariorum* ac *Semiseptenariorum* Dierum combinationibus, atque in eorundem cum Diebus Paribus consensu, Contradictio; una cum mille aliis ejusdem farinæ Objectionibus, licet tanto clamore a variis Auctoribus urgeantur, evidenter rerum tantummodo superficiei inhærent, & a Substantia, veraque Crisium Doctrina, recedunt plane.

Præterea manifestum est, illas Objectiones, quæ ex supposita in enumerandis Acutarum Febrium Diebus Differentia illatæ sunt, precarias, & enerves, esse, cum, in particularibus, qui pro Antiquis Crisium Observationibus adlegantur, Casibus, Differentia hæc nunquam absolute probata fuerit.

Illæ, quæ ex abstractis Ideis Theoreticis derivantur, absolute pueriles sunt; quia, nos, in Variolis, Morbillis, Intermittentibus Febribus †, variisque aliis, indies occurrentibus, Morbis, nunquam hactenus Regularium Criticarum Perio-do-

† *Bellini* hac de re Opinio ingeniosa tantum Hypothesis.

dorum Caufas demonftrare potuiffe, agnofcere cogimur. Hujus indolis negotia præfentis noftræ in Theoriæ Medicæ cognitione portiunculæ vires in tantum fuperant, ut illa, per abftracta quævis Ratiocinationis Principia, five probare, five refutare, velle, pro abfurdo æque molimine haberi debeat.

Totam ergo Controverfiam, inter illos, qui, fupra memorato fenfu, pro Crifium Confideratione pugnant, & plerosque *Modernos* Practicos, ad Materiam Facti utrimque integre reduci, patet.

Veteres fua ex parte inftitiffe Factis, eademque produxiffe, & Facta hæc a *Modernis* quibusdam confirmata effe, ignorat nemo.

Sat erit præfenti meo Propofito (quod unice eo tendit, ut pro hoc Subjecto capaciorum Medicorum attentionem cupiramque excitem) duo hic, in ipfis noftris Septentrionalibus terris, a binis eximiis Practicis, uno Antiquo, Moderno altero, dicto ritu factarum Obfervationum Exempla fiftere.

Mo-

Modernus est Celeberrimus *Fredericus Hoffmannus*, adeo notus, adeo usitatus, Auctor, ut, Lectorem ad generales ejus de Crisibus Observationes in *Tertio Medicinæ Rationalis Volumine* ablegare, sufficiat: ubi Antiquos vindicat, atque ex præclara quadragenariæ Praxis Experientia demonstrat, in plerisque Acutis Febribus, tertium, quartum, septimum, undecimum, vel decimum quartum, Diem pro Revolutionibus Criticis peculiariter notabiles esse; & ab omnibus aliis Diebus nonum atque undecimum, pro infelici, quæ illas sæpe comitatur, catastrophe distinguit. Profecto vel tam regularis (qualis hic) Experientiæ Cursus alicujus ponderis atque auctoritatis æstimari debet, vel nulla esse poterit Ars Medica!

Aliud Exemplum a Clarissimo *Foresto* sumam, Auctore, sive Eruditione Medica, sive Experientia, nemini suæ ætatis secundo. Cum Opera ejus hoc tempore nonnihil rariora sint, variis Lectoribus longe magis placiturum, non dubito, si hic illorum, quæ Subjectum, quod tra-

tracto, respiciunt, Compendium invenerint, quam si simpliciter ad Fontem amandentur.

Ex quadraginta octo Febrium Acutarum Historiis, ab Auctore hoc *, sine ullo hujus nostri Subjecti peculiari intuitu, enarratis, admodum memorabile est, triginta septem Casus (id est, tres quartas partes totius numeri) vel Crisibus stipatos fuisse, vel istis Diebus terminatos, quos *Septenariorum* & *Semiseptenariorum* titulo insignierunt; 4°, 7°, 11°, 14°, 17°, & 21°; ex hoc Numero, scilicet triginta septem, septendecim ægri Crises passi sunt, sanatique omnes; ex viginti aliis, qui nullas Crises subierunt, sex moriebantur: ingenti sane discrimine!

Ex hisce Febribus, quinque quarto Die terminabantur, tresque ægri peribant; duæ & viginti septimo, quibus alii tres occubuerunt; reliquæ, 14°, septem, 11°, binæ, 17°, una, & 21°, itidem una, feliciter desinebant.

Qui, de quadraginta octo, restant Casus

* Obs. & Cur. Med. Edit. Rothomag. à pag. 12. ad pag. 77.

sus (hoc est, quarta totius pars), vel Crisibus stipati erant, vel terminati Diebus sequentibus, 5°, 9°, 10°, 20°, & 24°; sed cum notabili hac a supra memoratis Casibus differentia, quod hisce Diebus binæ tantummodo Crises contingerent; qui Numerus, Casuum ad præsentem Paragraphum pertinentium, quintam nequidem partem valet; dum interim Numerus Crisium, quæ *Septenariis* & *Semiseptenariis* Diebus acciderant, Casuum, ad hosce Dies spectantium, dimidiam fere adæquaverit. Quinque ægri sanabantur, sex alii peribant, id est tot præcise, quot ex triginta septem in duobus prægressis Paragraphis memoratis interierant.

Septem ex his Febribus nono Die finiebantur, quibus quinque ægri succubuerunt; alius quinto Die moriebatur; & ex binis Casibus Criticis unus lethalis erat.

Omnibus rite libratis, apparet evidenter, quam immensum omnes reliquos Dies septimus, & quoad Numerum, & quoad felices Crisium, Terminorumque, Eventus, superaverit: hic enim Dies duode-

decim Crises, Sanationes novendecim, & tres solummodo Mortes, habuit. Proximus septimo decimus quartus erat, quo duæ acciderunt Crises, Sanationes septem, nulla Mors. Quartus autem nonusque contraria ratione occurrunt; ex quinque, quorum Febres, absque Crisi omnes, quarto Die terminabantur, tres perierunt; nono una tantum Crisis adparuit, & ex septem hoc Die Terminis quinque lethales erant.

Prægressis Observationibus constat pariter, ex novendecim, qui Crises subierant, ægris non nisi unicum interiisse (Summum sane pro Critica Praxis Methodo Patrocinium!); dum interim ex viginti novem, quibus Crisis beneficium non obtigit, undecim obiissent. Sed & hic conveniet, maximi ad hoc negotium momenti Observationem adjicere, scilicet, quod, juxta traditas ab *Antiquis* Regulas, varias illarum Crisium *Forestus*, uno, duobus, tribus, diebus, priusquam evenirent, prædixerit; uti curiosus quilibet Medicus, qui perlegendis istis Historiis impendet operam, non minori oblectamento, quam fructu, percipiet.

Longe

Longe absum, ut Generales quasvis Absolutas Regulas, ex tam parvo Factorum numero, constituam: nec, ea a libris meis distantia, aliisque negotiis non omnino liber, exactam horum Factorum Comparationem suscipere valeo, cum illis, quæ alii Acutarum Febrium *Historici* communicarunt; attamen, nisi me fallat Memoria, ausim adserere, quod hoc, de quo nunc agimus, Subjectum tali Comparatione haud multum amitteret; desideraremque, ut ea legitime institueretur. Interea prægressæ Animadversiones sufficiunt, evincendo, Crisium Doctrinam, recte intellectam, validis Facti Testimoniis vere sustentatam videri, & a prudenti quovis Medico nullatenus, vel pro ridicula tractandam, vel superciliose considerandam, esse, donec hæc, aliaque similia, Facta per Experientiam aut falsa aut precaria probata fuerint.

Quoad Practicos porro Crisium in Medicina usus, duo Argumenta opponi possent. Primum, quod a præclaro quodam Medico Objectum audii, in Periculo consistit, quod, ne Crises concomitetur, timent;

ment; ex Supposito scilicet, quod hæ a violenta tantummodo, ad evacuandam præpollentem aliquam fluidorum sarcinam, Naturæ lucta oriantur: *lucta*, in qua oneri ipsa posset succumbere; quamque ideo avertere potius, quam periclitari, Prudentia suadeat.

Revera agnoscendum est, quod violentia & agoniæ, quæ Crisibus aliquando junguntur, una cum periculosis Naturæ, sub conatu Critico deficientis, effectibus, objectioni huic robur addant, probentque, talia nonnunquam contingere; sed, in universum aliter se habere, evidenter fere ex sequentibus Observationibus liquet.

1°. Certum est, multa Crisium Exempla, post insignes admodum, per Missionem Sanguinis, Purgationemque, Evacuationes, occurrere: quorum aliquot in hoc Opere reperiri possunt.

2°. Variæ Crises citra ullum memorabilem in ægro tumultum, luctamve, accidunt: quarum pariter aliquot in hoc Opere Exempla prostant. Hæ binæ Obser-

ſervationes cum Objectione jamjam memorata ſubſiſtere abſolute nequeunt.

3°. Criſes generaliter fixum quendam Ordinem ſequuntur: 1°, ratione Dierum, quibus eveniunt; 2°, prægreſſæ Coctionis, vel Cruditatis, reſpectu; unde, certitudine, cuicumque alteri, qua in Praxi Medica gaudemus, æquali, Criſium ſucceſſus præviderì poteſt. Huic ex Materia Facti inſtiterunt *Veteres*, eandemque *Moderni* illi, qui conficiendis circa hoc negotium exactis Obſervationibus dedere operam, confirmarunt; 3°, reſpectu Signorum Prognoſticorum, per quæ Criſes, tribus ſubinde, priusquam accidant, diebus, prænoſci poſſunt, dum nullus inſolitus tumultus, luctave, in ægro apparet, ut ex *Foreſto*, *Solano*, aliisque, probare licet.

Ex Obſervationibus, ultima hac Paragrapho adlegatis, evidenter ſequitur, quod, ſaltem in ibidem memoratis Caſibus, Elateres Corporis, ſi id ita exprimere liceat, in anteceſſum ad Tonum futuræ Criſis intendantur, omnisque eorumdem præcedens actio, ad præparandum hunc

 even-

eventum, tacite concurrat. Talem Corporis Conditionem, naturalem necessariumque sedis Morbi, qualitatis morbosorum fluidorum, ac generalis in solidorum Systemate dispositionis, effectum esse, apparet; quorum imperceptibiles combinationes, absque ulla periculosa violentia, ad certos quosdam mensuratos motus, & peculiariter fixas Evacuationes, per simplicem Proportionis ac Harmoniæ effectum, totum determinant. Prævia hæc ad Crisin Præparatio, sub circumstantiis, in tribus prægressis Paragraphis memoratis, evidenter nihil aliud est, quam Stabile Naturæ † Opus, aut illius Corpori prospicientis Mechanismi, quem destinavit Creator, ut gradatim subigeret, tuncque expelleret, quidquid ulla ratione noxium reperitur, per talia particularia Emissaria, quæ, juxta combinationes jamjam indicatas, capacissima sunt concedendi transitum. Hoc Naturæ Opus perpe-

NOTULA INTERPRETIS.

† Toties hic & alibi, passimque in Scriptis Medicis, *Naturæ* Nomen, *Naturæ* Opera, prædicantur, ut utile duxerim, peculiarem, ad Calcem hujus Opusculi, Dissertationem addere, quæ *Naturam* illam, ejusdemque Dotes & Actionem explicet.

petuum eſt, conſtans, atque uniforme, quia a permanenti Principio, ipſa nempe Corporis noſtri Structura, derivatur. In levibus Febriculis talia fere imperceptibiliter eliminantur; evidentius autem in gravioribus; at tunc ſolummodo cum violentia, tumultu, & periculo, quando Corpus violentiſſime adficitur, Vitalesque Elateres ad rupturam parati ſunt. In poſtremo hoc Caſu, hocque unico, ſupra memorata Objectio locum tenet.

Secunda Objectio conſiſtit in Incertitudine Prævidendi Criſes: cujus Reſponſum, in tertia parte illius, quod ad primam Objectionem dedimus, quodammodo anticipatum fuit. Sed Primarium profecto hoc eſt, Objectionem iſtam mere arbitrariam, & documentis deſtitutam, eſſe. *Antiqui* ſua ex parte propugnarunt Facta; qua de re aliquot jam inde Exempla protuli; & ex his fixas pro Criſium Prædictione Regulas conſtituerunt: *Facta*, & *Regulæ*, utraque æqualiter, ipſis noſtris temporibus, ut varios alios præclaræ famæ Medicos taceam, a Magno *Boerhaavio* adoptata. Tam longæ, toties-

tiesque repetitarum, Obſervationum ſeriei pondus haud dubie ſentiet, quicumque perpenderit.

Quæritur jam: Ex quibus Factis, illæ, ab *Antiquis* pro Criſium Prædictione conſtitutæ, Leges falſæ aut precariæ demonſtratæ ſunt? per quos Auctores? in quibus Circumſtantiis?

Oportet hic animadvertere, nullas Obſervationes, aliqua Juſtitiæ ſpecie, contra *Antiquorum* illas urgeri poſſe, niſi tales, quæ juxta ipſorum Normam factæ ſunt. Manifeſtiſſimum eſt, quod ſi tota Signorum ſeries, quae juxta *Veterum* Obſervationem ad futurarum Criſium cognitionem ducit, Cruditatis videlicet & Coctionis Indicia, una cum iis, quæ imminentem Criſin indicant, vel illorum aliquod, in Morbi Hiſtoria neglecta fuerint, tunc hujusmodi Hiſtoria, ſine evidenti Conſequentiae vitio, contra Antiquarum circa Criſes Obſervationum certitudinem adlegari nequeat; quia una pluribusve, ad Criſium cognitionem abſolute requiſitis, Conditionibus manifeſte caret. Iterum; licet Obſervatio haec, di-

dicto reſpectu, penitus perfecta foret,
ſed Activus Practicus, nata in aegro Re-
volutione Critica (quae ſaepe Febris
exacerbatione, anxietate, ſubinde etiam
delirio, ſtipatur), Evacuationibus, Nar-
coticis, aut aliis quibuslibet intempeſti-
vis Remediis, Naturae Operationem tur-
baverit, manifeſtum eſt, in ſimili caſu,
defectum criſis (ſi haec deinde deficeret)
nulli in *Veterum* obſervationibus incer-
titudini attribuendum fore. Itaque ſe-
cundo Quaeritur: Utrum vere in Medi-
cina obſervationum accurate juxta *Anti-
quorum* Normam factarum ſeries aliqua
exiſtit, quae illas, quas ipſi circa crudita-
tem, coctionem, criſiumque Praedic-
tionem, adlegarunt, evertat? Quod ſi
ita ſit, tales obſervationes omnium ocu-
lis exponantur; ſin ſecus, Moderna no-
ſtra in Acutis Febribus Praxis multis dif-
ficultatibus, quae nondum hactenus elu-
cidatae ſunt, ſubjecta erit.

Notum eſt, certam quandam Curandi
Methodum, non improprie *Herculeam*
appellatam, præſenti hac ætate in Medi-
cina prædominari; illam intelligo, qua
Na-

Naturam subjugare conantur Medici, & cogere Acutas Febres, ut ea via incedant, quam ipsi, Suprema Ratiocinationis potestate, Antiquis de naturali Morborum horum decursu ac progressu Observationibus non curatis, in singulis Symptomatibus convenire, existimant. Sic ad cujuscumque insolitæ Anxietatis, Delirii, Exacerbationis Febrilis, adparitionem Sanguinis statim Missio, Vesicatoria, Opium, aliave Remedia, præscribuntur, non examinando, uti fecerunt *Veteres*, ex antecedente Febris in omnibus suis circumstantiis decursu, an ea, quæ aggrediuntur, Accidentalia tantum, an Critica potius, Symptomata fuerint: quæ tamen res, in determinandis validis quibuscumque Remediis, ut ex diversis Exemplis Practicis judicari potest, summi sane momenti videtur. Vix, aliquem Modernum Medicum reperiri, crediderim, qui sibimet *Galeni* vices non optaret, dum magnus hicce Vir, ex imminentis Criticæ Narium Hæmorrhagiæ præscientia, jussam in *Romano* juvene ab aliis Medicis Venæ Sectionem averteret, &, felici Prædictionis suæ successu,

im-

immediatam ægro ſanitatis recuperationem, famamque ſibi glorioſiſſimam, compararet. In tertio, *de Narium Hæmorrhagiis, Prima hujus Operis Parte*, a Doctore *Al-varez* adfirmato, Caſu, haud exiſtimem, quod ullus ſani judicii Medicus ſibi gratulatus fuiſſet, ſi, Criſin præcedente veſpera, ægro miſiſſet Sanguinem, uti Doctor *Al-varez* decreverat; aut, pacata mentis conſideratione, tam ſubitam, tam completam, Curam ab Artificiali Sanguinis Miſſione exſpectaſſet, qualem ibi Hæmorrhagia Critica producebat. *Ballonium*, exactum Naturæ Obſervatorem, agnitumque limati Judicii Practicum, in *primo* ſuo *Epidemiorum libro*, quaſcumque, adpropinquante, vel præſente, Die Critico, Evacuationes ſtrictiſſimi prohibere, memini; poſt leve Purgans, ſexto Acutæ Febris Die exhibitum, violentas periculoſaſque Hypercatharſes ſæpe ſe vidiſſe, teſtando. Similis Obſervatio in 4°. *Libro* Περὶ Νόσων, *Hippocrati* adſcripto, proſtat.

Cum metuam, ne præcipites quidam *Theoretici* duo hæc poſtrema Monita,

tam-

tamquam præoccupatæ Imaginationis, & Antiquæ Medicæ Superstitionis, effectus, considerent, illorum causa, e re esse poterit, ut ea Maximi, quem præsens ætas, & quæcumque forsan post *Hippocratem* alia, produxit, Practici auctoritate confirmem. Hoc Charactere Celeberrimum olim Doctorem *Radcliffium* ultro agnoscet quivis. Magnum huncce Virum religiosa quadam, & stupende felici, Criticorum Naturæ Operum Observatione imprimis claruisse, &, quoad omnium turbantium Remediorum, mitissimorumque etiam Catharticorum, usum, in Acutis Febribus cautissimum fuisse, abunde innotuit. Inter varia ipsius de hoc negotio sententiæ Exempla, a Medico quodam, meritis & candore præclaro, qui ei admodum familiaris fuerat, sequens mihi narratum fuit. Sed, dum Factum memoro, eorum, quos concernit, Nomina supprimam, ut invidiosa quævis & inutilis in ipsorum memoriam Animadversio caveatur. Æger quidam, Febre Acuta laborans, eodem, quo leve Purgans sumpserat, die, Hypercatharsi moritur: ille, qui

præ-

præſcripſerat, producit Formulam, &, pro ſua juſtificatione, Medicamenti lenitatem adlegat, quod adeo blandum videbatur Medicis, quos ea occaſione convenerat, ut ipſum ab omni mortis imputatione prorſus liberum declararent. Doctor *Radcliffe*, cujus ea de re judicium quærebatur, poſt Naturæ Symptomatumque Febrilium examen, Cathartici revera lenitatem agnoſcit; ſed, proprio ſibi emphatico Stylo, pronuntiat, *Fuiſſe Intempeſtivum, impeditam inde Criſin, adeoque Occiſum Ægrum.*

Hanc Medici, qui, admirabili in agnoſcendis Morbis Sagacitate, & incomparabili Praxis ſuæ Succeſſu, novum Dignitatis Auctoritatisque gradum Medicinæ addidit, Sententiam, apud violentiſſimos etiam Criſium Hoſtes, alicujus momenti æſtimandam fore, merito ſperari poteſt.

Ex paucis hisce, inter mille alias ſelectis, Animadverſionibus adparet, quam imprudens periculoſumque eſſe poſſit, ſine ullo ad Criſis Obſervationem Reſpectu,

ctu, Valida in singulis Febris Acutæ mutationibus Medicamenta præscribere.

Hoc, non Acutarum tantum, sed & Intermittentium, Febrium ratione, per novas atque exquisitas *Hippolyti Francisci Albertini*, in *Actis Academiæ Bononiensis Anni* 1731. traditas, Observationes ulterius etiam corroborari posset: *Observationes*, iis, quas alii deinde Medici eidem Academiæ communicarunt, adeo universaliter confirmatas, ut, easdem pro veris, constantibus, atque fide dignissimis, in Publicum emittere, Eruditissima hæc *Societas* minime hæsitaverit. Cum *Acta Bononiensia* omnium manibus non terantur, plurimis Lectoribus placiturum, crediderim, si hic earum, de quibus loquor, Observationum Compendium deprehenderint.

1. Accurata & diuturna Experientia observavit *Albertinus*, nullum ægrum Corticis Peruviani ope a Febre Intermittente plane, tutove, curatum fuisse, nisi immediate, brevi post, vel tardius nonnihil, Crises subiret, similes istis, quæ in Febribus, per alia Remedia, vel per

per Naturam, curatis, ſemper fere obſervantur. Animadverſio, quæ tales eludit Medicos, quorum in Obſervando diligentia una cum Febre ceſſat, nec toto Convaleſcentiæ Stadio ægrum proſequitur.

2. Uſum Corticis varias Criſium diſtinctas ſpecies, Sudores, Diarrhœas, Urinæ, imo & Salivæ, Fluxum, auctamve, & ab illa, quam ante habebat æger, diverſam, Fœtidoque Nidore diſtinguendam, Perſpirationem, promiſcue adducere. De ultima hac unum ex variis notabile Exemplum ſeligit, ubi, poſt uſum Corticis, prout Critica illa Perſpiratio diverſa ratione (ſi id ita exprimere liceat) Flueret vel Reflueret, ita pariter melius pejusve habebat æger; ſicque, ſub dubia Sanationis & Recidivæ viciſſitudine, perſeverabat, donec ſtabili aliquot dierum Fluxu perfecte tandem convaleſceret. Proprietatem hanc, Criſium interventu Curandi, in omnibus aliis Febrifugis, validisque in univerſum Remediis, animadvertit *Albertinus*.

3. Quemadmodum ſalutares Corticis Effectus ad peculiarem aliquam Criſin limitati non ſunt, ita nec Tempus, quo Criſium harum una quædam vel plures poſt Remedii iſtius uſum adparent, ſtabile & regulare occurrere: aliquando tunc tantum contingere Criſin, poſtquam aliquot jam diebus intercepta per Corticem Febris fuit, & in priſtinam Sanitatem rediiſſe videtur æger *; ſed, absque Criſi, intutam Curam.

4. Criſes has non Febrim tantum, ſed & natas inde recentes Viſcerum Obſtructiones, tollere.

5.

* Simile quid Præclariſſimorum inter *Londinenſes* Medicorum Praxis exhibet, apud quos nota felixque aliquot elapſis annis Conſuetudo obtinuit, ſub ipſa Intermittentium per primas Corticis doſes Suſpenſione, lenia & roborantia Cathartica præſcribere, idemque poſt aliquot dies iterare Remedium; vel ab ipſo initio talem regulariter ſimilium Catharticorum copiam miſcere Cortici, quæ, ſine effectus Corticis per nimiam Laxitatem deſtructione, apertam Alvum ſervare poſſet. Invaluerat jamjam memorata Methodus inſigni, quem, in præſervandis a Cachexia, Ictero, vel Hydrope, ægrotis, habuerat Succeſſu, quæ in certa quadam Epidemica Conſtitutione poſt conſuetam Intermittentium Curationem frequenter acciderant.

5. In Febribus Intermittentibus, quas præcessit, aut comitatur, solitæ cujusdam Evacuationis Suppressio, ægros in periculo versari, nisi laudabiles Crises usum Corticis immediate excipiant. Variis hoc evidentibus Exemplis illustrat *Albertinus*, Hominum, quos, post Scabiei, Ptyalismi, Podagræ, variorum Ichorosorum Fluxuum, Antiquorumve Tumorum, Recessum aut Suppressionem, Intermittentes prehenderant. His datus erat Cortex, remota igitur aliquot diebus Febris, ægrique omni verisimilitudine restituti perfectissime, sed absque ulla Crisi; cum, sub maxime blandienti prosperæ Sanitatis spe, in violentos subito Morbos, alii in Inflammationes, Febres Acutas, & Parotides, alii in periculosos Capitis Adfectus, Stupiditates, Paralysesque, alii denique in Apoplexias, inciderent.

Paucas aliquot ex prægressis Factis Practicas Leges *Albertinus* deducit, quas, quia perspicaci cuivis Medico facile occurrent, omittam ego.

Id tantum generaliter observabo, quod, cum Febres, pro quibus efficax adeo Specificum (Corticem sc.) possidemus, ipsæ absque Crisium ope vere curari nequeant; cum exquisita ad Crises Attentio, dirigendis in ejusmodi Febre Medici Actionibus, firmandoque verarum aut fallacium Curationum respectu Judicio, ipsis Factis adeo necessaria demonstrata fuerit; quanto magis omnia hæc in Acutis Febribus requirentur, in quarum Sanatione Naturam multo insigniores partes agere, notissimum est, magisque, quam ad Intermittentium profligationem, contribuere? Cum vero Crises istæ, atque earum Sequelæ, plerorumque Medicorum in Febribus Intermittentibus Observationem eluserint; cum easdem Observandi Defectus tam multos, tam graves, & imperceptos nihilominus, errores produxerit; quam valide igitur similium errorum Suspicio in communem, Acutarum respectu, Crisium Neglectum cadet? Utique sufficere videntur hæc, ut prudens quivis Medicus ad legitimum Dubium, reique istius Examen, revocetur.

Cor-

Corticis, sine adjuncta Crisium ope, in radicali Febrium Intermittentium Curatione Inefficacia ad veri Remediorum Effectus, Operationisque, exactiorem Scientiam deducere nos poterit, & faventem magis Crisium Ideam suggerere, quam quæ, post Medicinæ a *Chymicis* invasionem, prævaluit. Ut res hæc clariori etiamnum Lumine perfundatur, examinare salutares bonarum Crisium Effectus, & cum iis, quos efficacissima nostra Remedia producere valent, comparare, conveniet.

I°. Certum est, aliquas Corporis nostri Conditiones occurrere, quæ, ut Morbosa Fluida eliminentur, peculiares quasdam determinatas Evacuationes exigunt: quibus alias quascumque Evacuationes substituere, inutile sæpe, & periculosum, fuerit. Hæmorrhoidalis revera Fluxus, & Menstruus, Revulsiva Sanguinis Missione supprimi aliquando potest: sed, licet Copia sic Evacuata naturaliter Evacuandæ alteri æqualis, vel & major, fuerit, attamen generaliter imperfecta illa Compensatio, & mille, Suppressionis

nis pedisequa, incommoda avertendo inepta, deprehenditur; quia Natura illa ipsa ratione non levatur, quam universalis totius Machinæ Determinatio postulat, neque isthæc Determinatio, substituta Artificiali Sanguinis Missione, immutatur. Stabilis iste (si Phrasin repetere liceat) ad certum quemdam Tonum tensi Corporis Impetus clarius etiamnum in quibusdam Cephalalgiis patet; quæ omni, juxta communem Venæ Sectionis ac Purgationis Methodum institutarum, Evacuationum vi numquam removeri poterant, sed ipso instanti, & ad stuporem usque, aperta Temporali Arteria, fugabantur: cujus rei multa apud *Prosperum Alpinum*, *Ballonium*, *Marcum Aurelium Severinum*, *van Meekren*, aliosque, Exempla prostant.

Igitur ex Materia Facti manifeste constat, certis quibusdam Occasionibus, certas tantum peculiares Evacuationes Noxiis Fluidis liberare Corpus, aut Machinæ Tonum atque Impetum mutare, posse.

Quod autem propriis Signis Criticis (id est, ipsis illis, qui ex Circumstantiis Morbi, & universali Morbosi Corporis Impetu, sequuntur, Effectibus) prævie denotata Crisis *eminenter* Naturalium istarum Evacuationum una videatur, quæ, æquali aptitudine & securitate, alia quacumque Evacuatione suppleri nequeunt, ex Principio in præcedenti Paragrapho indicato satis liquet; videlicet, quod Natura per Spontaneam Crisin immediate levetur, illa peculiari ratione, quam Machinæ Determinatio & Necessitas tunc requirunt. Hoc autem, ni pessime fallor, vere in Materia Facti consistere, cuilibet non præoccupato constabit, qui Salutares multarum Crisium Effectus, aliis illis efficacissimorum nostrorum & *Herculeorum* Remediorum Effectibus exacte comparaverit. Acutarum Febrium, Crisibus subito & perfecte remotarum, Exempla in Practicis nostris Auctoribus nimis communia sunt, quam ut in dubium revocari queant; & propria Evidentia adeo demonstrata subsistunt, ut opus non sit, ad aliqua hujusmodi Facta provocare, quæ ipse verisimiliter Lector in *Prima*

præsentis Operis Parte ultro animadverterit; cum ex adverso interim, similia Exempla fide digno quodam in ejusmodi Casibus Opum Medicarum Successu umquam æquilibrata fuisse, haud meminerim. Hæ revera mirabiles sæpe produxerunt Effectus, faustamque desperatis Casibus Mutationem sensibiliter induxerunt; at hic earum Efficacia limitatur, nec unquam forte, ad immediatam perfectamque Febris Acutæ gravioris Sublationem, extensa fuit. Inter omnia Remedia, mirabilibus, quas in instanti perfecit, Curis, summum Medicinæ Honorem *Arteriotome* addidit: sed hæc illi, quod nunc tractamus, Negotio opponi nequit; etenim tantum abest, *Modernos* nos illius vere *Herculei* Remedii Usum ad tales, qui id manifeste videntur exigere, Acutarum Febrium Casus * extendisse, ut id ipsum universaliter neglexerimus, in iisdem etiam casibus, ubi ab elapsi Seculi Medicis tam feliciter exploratum fuerat.

Crises

* V. G. Inflammationes Menyngum & Cerebri, tales præsertim, quæ visibilem Carotidum Pulsationem excitant.

Crises igitur, optimaque nostra Remedia, singula sub amicissimo cuivis Lumine perlustrando, priores Efficacia posterioribus præstare plurimum, iisdemque ergo apte compensari haud posse, Factis constat.

2°. Idem hoc, in peculiaribus quibusdam casibus, vitiosis in Criticarum Evacuationum Materie observatis qualitatibus, putridis e. g. fœtidissimisque Urinis, Sedibus, atque Sudoribus *, ulterius evinci potest; nam si Activus Medicus, imprudentia, aliave qualibet ratione, imminentem hujus generis Crisin averteret, quam fatales esse possent Sequelæ? quam incerta hujusmodi Materiæ per alia Emissaria Expulsio? quam periculosa ejusdem intra corpus, donec expelli queat, Mora?

Sed, licet Remediis nostris æqualis cum lau-

* *Galenus*, a *Ballonio*, *Ep. edit. Venet.* p. 42. citatus, alicubi in suis Operibus, *Omnes fœtidas Excretiones perniciosas esse*, statuit: Falsa evidenter Adsertio! Vide supra *Obs. V. de Sudoribus Criticis*, item *Ballonii Ep. pag.* 187. & *Albertinum* in *Act. Acad. Bonon.* loco cit.

laudabili Crisi Efficacia concederetur, tunc tantum in partes venirent illa, quando Natura, nec manifeste, nec regulariter, ad talem Crisin procederet: dum enim eo procedit hæc, inutilia ista, si non immediate periculosa, haberi debent: *Inutilia*, quia ad summum æqualis solummodo cum bona Crisi Efficaciæ supponuntur; *Periculosa*, quia universalem corporis Impetum violente mutant, aut debilitant, totamque perturbant Machinam, ut hæc ad aliam quandam Determinationem invertatur: quæ, sine certo quodam (Instrumenti Musici ex uno in alterum Tonum transferendi Discordiæ utcunque comparando) Tumultu, concipi nequaquam potest. Constans in omnibus ejusmodi casibus difficultas; & licet fatalibus perpetuo Effectibus non stipata, attamen, Morbosos istos, & spontaneæ criticæ Expulsioni paratos, Humores Visceribus infigendo, Practicis Morborum Historiis abunde periculosa adparuit, ut majorem, quam quæ in *Moderna* nostra *Herculea* Praxi eidem passim adhibetur, Attentionem mereri possit.

Quæ-

Quæcumque pro Antiqua Crisium Observatione adlegavi hactenus, Strenuam Curandi Methodum excludere, nequaquam debent. Accuratam revera in Medico, continuamque, ad minutas quaslibet Signorum Criticorum Circumstantias Attentionem exigunt; sed tunc tantum clamant Otium, dum felicem inde futuram Crisin prævidet. Integra, sub Acutarum primordiis, Libertate gaudet, Media, quæ Ars suggerit, efficacissima adhibendi, ut Inflammationis, Plethoræ, aut collectæ in Primis Viis Saburræ, Sequelas præcaveat. Tempus hoc, Ratione & Experientia teste, alacri magnanimæque Actioni conceditur, priusquam Radices egerit Morbus, &, sustinendis Remediorum Viribus necessarium adeo, ægri Robur deficiat. Pretiosa hæc Occasio, a qua faustus vel infaustus Febrium Acutarum Exitus fere omnino pendet, tanto a Criticis Morbi Periodis intervallo, Crisium Observatori æque, ac Vituperatori, patet. Fortunatissimum sane se sentiet prior, si Causas Morbosas eo tempore ita subjugare potuerit, ut arceatur Crisis Necessitas, Morbusque ad spontaneam in-

insensibilem Resolutionem perducatur. Maturioribus Morbi Periodis, nulli non magis Restrictioni subjacet, nisi illi tantum, quæ, ab exacta, in Observandis omnibus Mali Circumstantiis, Vigilantia, ab exquisita, in distinguendis inde Salutaribus Noxiisque Revolutionibus, Attentione, & denique a prudenti, sub priorum Prædominio, omnium validorum Remediorum Abstinentia, nascitur. Nec onerosius hoc, quam quod unicuique Medico inevitabiliter incumbit, Officium: etenim, Naturam aliquas in Morborum Curatione partes agere, agnoscunt omnes: vixque aliquem Medicum tantæ in Præscribendo Incontinentiæ suspectum arbitror, qui de hoc, propria Naturæ Sufficientia indicto ipsi, Otio querelas fundat. In omnibus aliis Morbi Mutationibus (tales intelligo, quas, aut mere Morbosas, aut Perversas, aut, licet sua Indole Salutares, Morbi tamen magnitudini Impares, deprehendit) omni vigore, totisque *Herculeæ* Methodi viribus, distinguere sese, & poterit, & debebit. Hoc revera videtur Medium, inter absurdam istam pusillanimem Praxin, quæ, ex inepto me-

metu Naturæ Ordinem, Criticosque ejusdem Impetus, perturbandi, ægrum Morbi ferociæ ignave tradit; præcipitemque illam Methodum, quæ Salutares Naturæ Operationes cum Morbosis mere Symptomatibus confundit, &, utralibet sine ullo discrimine aggrediendo, Regularem Morbi cursum pervertit, novas morbosas complicationes excitat, maxime Naturalia simul, & Efficacissima, curationis Media pessumdat.

Ut hujus de crisibus dissertatiunculæ Summam recolligam, adparere existimem; 1°, quod, si res ista ab extraneis omnibus, quas abstractæ ratiocinationis præjudicia eidem miscuerunt, Fabulis atque Hypothesibus depuretur, Quæstio, de vera Crisium, Dierumque iis peculiariter adpropriatorum, existentia, ad meram Facti materiem utrimque reducenda veniat; 2°, quod Adfirmativa validis, Modernis æque ac Antiquis factis sustineatur; talibus saltem, quæ, omnes non præoccupatos Medicos ad ulterius illius Subjecti Examen inducere, abunde valeant; 3°, quod Crises non sint meri Effectus

fectus Naturæ ſibi ipſi relictæ, & violente luctantis ſub inerti Noxiorum Humorum Sarcina, ut quidam Medici exiſtimarunt; at ſucceſſiva potius, continua, desfinita, opera exquiſiti illius Mechanismi, innatique, & propriæ conſervationi jugiter invigilantis, Principii, quo providentiæ placuit, noſtra dotare corpora, a creatore certo certius deſtinata, ut, licet ex propriæ ſuæ Structuræ Indole, & externorum Agentium injuriis, mille diverſis malis ac periculis indies exponantur, in longam tamen Annorum ſeriem ſubſiſterent. Hoc univerſo circumſtantiarum, Salutares Criſes concomitantium, Satellitio demonſtratum fuit; 4°, quod, ſine ullo ad Criſium Obſervationem reſpectu, valida, in ſingulis Febris Acutæ mutationibus, Remedia præſcribere, periculo non careat; 5°, quod, ſub determinato quolibet ad Criſin Impetu, Criſis hæc alia quacumque Evacuatione, æquali aptitudine, & ſecuritate, ſuppleri nequaquam poſſit; 6°, quod Salutares bonarum Criſium Effectus optimorum noſtrorum Remediorum Efficaciam longe videantur excedere; 7°, quod ingenioſa Criſium obſer-

ſervatio magnanimæ praxis methodo haud repugnet; 8°, quod hac in re nullæ Obſervationes contra *Antiquos* legitime adlegari poſſint, niſi tales, quæ juxta eorum Normam confectæ fuerint.

Itaque, generalibus illis, quæ, de Antiqua criſium Obſervatione, ſummoque, quod in praxi mereantur, pondere, fortuito penes me jacuere, Animadverſionibus enarratis, eas mihi, licet iſtis, quas Subjectum admitteret, iisque etiam, quas, ſi Otio & requiſita Librorum opportunitate fruerer, pro eodem ipſe urgere poſſem, longe inferiores, haud exiguo tamen Momento occurrere, fateri cogor. Siniſtris aliquot in Operis hujusce Scopum objectionibus obviaſſe, idemque Affectato hodie Criſium Faſtidio exemiſſe, præſenti Propoſito plane ſufficiet. Donec ex oppoſito legitime ſtabilita Res, & juſtificata, fuerit, vix leniori eam, quam *Affectati Faſtidii* titulo adpellare poſſim. Tamdiu igitur, nos hac in re, ſine ulla ratione, a Veteribus deflexiſſe, meraque conſuetudine, & dominantibus quibusdam elapſi Seculi Præjudi-

judiciorum Reliquiis, ad Hodiernam nostram *Herculeam* Praxin pervenisse, non sine verisimilitudine aliqua, Modernis nobis imputari poterit.



SECTIO II.

Continens Exempla quædam peculiaria, ex propriis meis Observationibus, circa supra memoratos Pulsus & Crises, cum variis selectis Casibus, mihi per Amicos communicatis.

CAPUT I.

Novæ Observationes circa Pulsum Dicrotum.

OBSERVATIO I.

Illa, qua *Antequeræ*, die 17. Septembris 1737, appuleram, Vespera invisens me *So-*

Solanus, in iis, quæ eo usque de ſuo Invento audiveram legeramve, nullum ſeſe Fundamentum ponere velle, inquit; Conſentire ſe, ut antecedentia omnia illius rei Documenta prætermitterentur, totumque Negotium ad talium, quæ ſub mea in iſta civitate Mora occurrerent, Factorum teſtimonia reducerem.

Pacti tenax, ejusdem Menſis die 21. mane adſumpſit me ad Noſocomium *Antequeræ St*. *Joannis de Dios*, ut Pulſu Dicroto inſtructum, ſedecim annorum juvenem, & mediocri corporis habitu præditum, ægrum inviſeremus. Nomen *Juan de Ortega*, *Oſſunæ* natus erat, jamjam a Febre continua reconvaleſcebat, in qua, & purgatus fuerat, & ſectus Venam. Pulſus Dicrotus in ipſo prima vice eodem mane adparuerat; levis erat, & in ſingulis Pulſationibus continuus; unde *Solanus* exiguam Sanguinis quantitatem per Naſum, intra viginti quatuor horarum ſpatium, præſagiit; & quamvis repræſentarem ipſi, Secundum Ictum mihi inſtabi-

ſtabilem videri *, nullum ad Narium Hæmorrhagiam adparere Impetum, quin & nullum ex omnibus iſtis, quæ pro tali Hæmorrhagia *Veteres* tradiderunt, Indicium, nihilominus, quod maxime mirabar, abſolute in ſua Prognoſi perſiſtebat.

In eodem Statu æger usque ad 22um circa Auroram manſit: quo tempore, Prurire Naſo, ac, cum exigua Cruenti Muci, & paucarum Guttularum Sanguinearum, Excretione, Sternutare, cœpit. Viginti quatuor horis perſiſtebat Pruritus. Circa decimam matutinam tenuis Sanguinea Stria de Naſo prodiit; cumque Pulſus Dicrotus continuaretur, copioſioris Sanguinis apparitioni inſiſtebat Doctor; quæ ad octo etiam novemve Guttarum copiam poſt meridiem accidit. Proximo mane (videlicet vigeſima tertia) tres quatuorve Sanguinis Guttas, & toti-

* Adparentis mihi in Secundo Ictu Inconſtantiæ, ut brevi poſt in eodem ægro obſervabam, Cauſa, diverſus Pulſum explorandi modus fuerat: nam regulariter Secundus percipiebatur Ictus, ſi digitus Arteriæ leviter adplicatus maneret; ſed, quoties hanc comprimerem, disparebat.

totidem insuper post meridiem, de Naso reddidit: Vesperi Pulsus Dicrotus tardior evasit, & Secundus Ictus distincta fere a Primo Ictu Pulsatio videbatur. Sequenti mane (vigesima quarta) Pulsum absolute Naturalem * reperi; quam ob rem æger ex Nosocomio dimissus fuit.

Inducebam hominem, ut me domi meæ conveniret, privato ibidem ipsum Examini subjecturus. Pulsus ejus Naturalis manserat. Rogavi, fortiter Nares emungeret; sed nullus Sanguis apparuit. Pecuniam dedi, ut, si Media quædam ad excitandam Nasi Hæmorrhagiam essent adhibita, indicaret: Negavit; seque nunquam prius ullum ex ista parte Sanguinem emunxisse, adseruit.

OBSERVATIO II.

Die 10 Octobris 1737, Don *Antonio Al-varez*, in Prima hujus Operis Parte memoratus, Medicinæ Doctor, illa sese Vespera in suo quodam ægro Pulsum Dicrotum percepisse, ideoque, licet Pul-

* Pag. 4. num. 6.

ſus hic nonnihil obſcurus eſſet, Sanguinis, quam ægro ante præſcripſerat, Miſſionem diſtuliſſe, ſuamque de Narium Hæmorrhagia exſpectationem Familiaribus indicaſſe, *Solano*, mihique, narravit.

Proximo mane ſequentem Schedulam ad *Solanum* miſit.

„ DOMINE.

„ Heri tecum locutus fui de Prognoſi
„ mea futuræ Narium Hæmorrhagiæ in
„ Domino *Joanne de Zayas*, Domini
„ *Chriſtophori de Zayas*, cognati mei,
„ Filio. Acutæ Febris Diem nunc quin-
„ tum agit; & quamvis Circumſtantiæ
„ Morbi, conſtitutio ipſius & Juventus,
„ Sanguinis Miſſionem exigere videren-
„ tur, hanc tamen, ut narrabam, ob
„ Pulſus Dicroti adparitionem diſtuli.
„ Elapſa Nocte æger Sanguinem e Naſo
„ dimiſit. Hoc mane Strophiolum ejus
„ totum cruentum vidi, & ſervandum
„ juſſi, ut Veſperi Amicum noſtrum
„ Doctorem *Nihell* adducas, ipſe exami-
„ net, in veritatem hujus Facti inquirat,
„ Te-

„ Testisque sit stuporis & admirationis,
„ quæ casus iste in Familia excitavit; *Fa-*
„ *milia*, ut nosti, Dignitate æque ac Ve-
„ racitate notabili. Aliam, hodie futu-
„ ram, prædixi Hæmorrhagiam, sed
„ minori quantitate, quia Pulsus Dicro-
„ tus obscurus est. Sum &c.

„ Die 11. Octob. 1737.

„ Don *Antonio Alvarez de Aseyjas.*

Hora quarta Pomeridiana, cum Do-
ctore *Solano*, Domino *Christophoro Sola-*
no, illius Filio, & Domino *Joanne de Pe-*
draza, Philosophiæ ac Medicinæ Bacca-
laureo, ad visendum ægrum me contuli:
Strophiolum totum Sanguine commacu-
latum vidimus: Hæmorrhagiæ quanti-
tas fuerat, qualem, juxta Familiæ Phrasin,
ovi testa recipere potuisset. Æger ali-
quot diebus ante Capitis Gravitate labo-
raverat. Febrim admodum Moderatam
invenimus, Lotium valde Coloratum,
Pulsumque leviter (sed, ut mihi videba-
tur, non omnino distincte) Dicrotum:
Nihilominus aliam Hæmorrhagiam præ-

 dice-

dicebat *Solanus*, *Alvarezio* Vesperi eandem Prognosin repetente. Æger tota sequenti Nocte admodum Deliravit, sed nulla adparuit Hæmorrhagia, nec mane vel minimas Dicroti Pulsus reliquias poteramus detegere. Quapropter Visitationes nostras abrupimus. Utrum in hoc casu Sanguis, qui per Nares debuisset effluere, introraptus fuerit ad Meninges, indeque productum Delirium, Lectoris Judicio relinquam.

Die sequenti, videl. 13. Octobr., Doctor *Alvarez* Sanguinem mittendum jussit: Vesperi iterum observavit Pulsum Dicrotum, idque Familiæ indicavit. Proximo mane, hora nona, æger Narium Hæmorrhagiam passus fuit, &, hora decima, Brachii Venam, secunda vice, secabatur. Licet de iis, quæ post 12. contigerant, nihil scirem, attamen, curiositate ductus, Visitationes meas renovabam. Hoc mane, 14. scilicet, fortuito conveni ægrum, hora fere post Hæmorrhagiam elapsa, & Strophiolum ejus, amplis duodecim cruentis maculis recenter tinctum, vidi: Pulsus ipsi adeo Contractus erat, ut

ut Secundum Ictum percipere non valerem: sed is denuo post meridiem adparuit; unde aliam intra 24 horas Hæmorrhagiam vaticinabar; quæ exspectationi meæ haud respondit, licet Dicrotus, uti hactenus consueverat, Pulsus ad quamlibet Diastolen perseveraret. Sinister hic Eventus *Solanum*, meque, ad accuratius ægri Examen impulit; deteximusque, quod Doctor *Alvarez* a prægresso die per intervalla Fronti ac Temporibus Adstringentia adplicasset: imperavimus mox, ut removerentur hæc, & Aquæ calidæ Fomentum substituimus: quibus Mediis æger sequenti mane, 16. Octobr., hora tertia, aliam, ultimo memoratæ exacte similem, Hæmorrhagiam patiebatur: post quam Secundus Ictus, pro more, evanuit.

17, 19, 20, & 22, Indies sequentibus circumstantiis Hæmorrhagiam subiit: Prima & Postrema valde exigui moderanti erant, aliae binæ similes supra dictis: Primam prægressa Vespera, Secundam duobus fere diebus, Pulsus Dicrotus præcesserat; quod, juxta *Solani* Leges

ges, aliquantulum irregulare erat: Vesperis Tertiam Quartamque Hæmorrhagiam præcedentibus, sed ante Tertiam præsertim, Secundus Ictus obscure sentiebatur: attamen oportet animadvertere, quod forsan eo præcise tempore redire inceperit; mane enim Pulsus perfecte Naturalis fuerat.

Post Quartam Hæmorrhagiam Pulsus Dicrotus per intervalla adparuit, sed obscura adeo irregularique ratione, ut nihil inde concludi posset.

In toto hujusce Observationis Decursu, admodum notabile est, quam regulariter post singulas, Prima forte excepta, Hæmorrhagias * Secundus Ictus evanuerit.

OBSERVATIO III.

Die 10. Octobris 1737. *Antequeræ* ad Nosocomium *St. Joannis de Dios* venit *Franciscus Martinus de Cuesta*, in *Arragoniæ* Regno *Molinæ* natus, Vir procerus, macilentus, ætatis viginti sex annorum,

*Vide pag. 4. num. 6.

rum, Colore Cachectico, Febre Quotidia-
na, obstructisq; ac dolentibus Hypochon-
driis, laborans; aliquot Diebus ante ca-
pitis Gravitatem senserat; hæcque etiam-
num perseverabat; insuper & Nasi Hæ-
morrhagiam patiebatur.

10. Octobris, Pulsus leviter, sed in-
constanter, Dicrotus adparebat; æger-
que capite doluit. Proximo mane exi-
guam cruenti Muci copiam emunxit, &
Secundus Ictus, ad singulas Diastoles
continuus, manifestus, ac Primo Ictui fe-
re æqualis, erat: quapropter majorem
Sanguinis copiam, intra viginti quatuor
horarum spatium, *Solanus* præsagiit.
Tota die æger lancinanti Temporum do-
lore affligebatur, cum dextræ Naris pru-
ritu; & sequenti mane, 12. Octobris,
exiguam, majorem tamen, quam præ-
gressa die, Sanguinis quantitatem Naso
expulit. Lancinans Temporum dolor,
cum Pulsu Dicroto, sed levi admodum,
continuabatur, majoremque iterum San-
guinis copiam *Solanus* præsagiit. Ves-
peri sudavit æger, Nocte prehendebatur
Diarrhœa, quæ, ad 14. mane protracta,
N 5 ipsum

ipſum omnimode allevabat †. Sed nullus hoc intervallo Sanguis adparuit. Nihilominus, die 13, una cum capitis levitate, evidentiorem tota poſtmeridie, quam hactenus fuerat, Pulſum Dicrotum deprehendens, Hæmorrhagiam, intra 24 horarum ſpatium, prænuntiavi; quæ proximo pariter mane contigit: exigua quantitate erat, & e dextra Nare prodibat. Horis aliquot elapſis, exploravi ægri Pulſum; Secundus Ictus idem fere percipiebatur, &, ut prius, in Dextro, quam in Siniſtro, Carpo evidentior. Ex hiſce circumſtantiis, ac tempore, intra quod præcedenti vice regulariter adparuerat Sanguis, alteram in ſecuturum mane dextræ Naris Hæmorrhagiam prædicebam. Hora 2. matutina, non ſine ægri ſtupore, eventus Prognoſi meæ reſpondit perfectiſſime, poſteaquam dextri lateris Tempus, Oculus, atque Naris, horæ ſpatio doluiſſent. Hæc hæmorrhagie nonnihil major erat, quam poſtrema.

Inflatus hoc Succeſſu, ex Pulſus Dicro-

† Hæc, absque prægreſſa ulla, vel ſocia, Pulſus Intermiſſione, accidit.

croti continuatione, novam in proximum mane Haemorrhagiam praenuntiavi; sed fallebar. Post meridiem nihilominus, 16. Octobris, eodem fundamento, eandem Prognosin repetii. Sequenti mane, cum insigni Temporum, Frontis, ac Oculorum, dolore, excitabatur aeger; & paucis deinde horis exigua Sanguinis copia per Nasum adparuit, quae, uti ob circumstantias memoratas existimo, longe notabilior prodiisset, nisi illo mane purgatus fuisset aeger: quanta enim a superioribus Vasis Sanguineis, Purgantis ope, fieri possit Revulsio, Medicus rerum gnarus abunde novit. Toto die continuabatur dolor, & post meridiem ad Naturalem suum Statum Pulsus proxime adpropinquabat.

A 18. mane, usque ad 20. mane, Pulsus Dicrotus manifestus erat. Quo fretus, binas Prognoses enuntiavi, & de Criticarum *Solani* Indicationum incertitudine incipiebam conqueri. Attamen oportet animadvertere, intervallo hoc Frontis Temporumque dolorem exacerbatum fuisse, donec 19 Vesperi Aquae cali-

calidae fomento profligaretur: Nasusque adeo siccus erat, ut, etiamsi, quod iterum iterumque ab aegro fieri curabam, emungeretur, ne vel minimum Muci inde expelli potuerit.

20. Mane Pulsus Naturalis erat, meliusque habebat aeger: sed post meridiem Pulsus denuo Dicrotus adparuit, isque evidens percipiebatur, usque ad 22. mane. Ultimis erroribus cautior redditus, a nova quacunque Prognosi abstinui; at, cum Nasi siccitas perseveraret, 21. Vesperi Aquae calidae fomentum, capiti adplicandum, praescripsi, uti & 22. mane, ut Vasa ad naturalem suam Laxitatem reducerentur: tacitusque exspectavi Eventum. Hanc Methodum desideratus Effectus sequebatur: etenim post secundum Fomentum immediate Narium Haemorrhagiam aeger ad viginti Guttarum quantitatem subiit: quo facto, Caput levatum fuit; & Secundus Ictus fere insensibilis evadebat. Post Haemorrhagiam purgabatur.

A 22. post meridiem, usque ad 28.

Se-

Secundus Ictus, per intervalla; nunc Regularis, nunc Anomalus, Caputque in universum Vertiginosum, fuit.

28, Sera Vespera, solus adivi Nosocomium, & Secundum Ictum valde insignem, Pulsum validum, Capitisque Gravitatem ac Vertiginem, majora solito, deprehendi; unde impendentem Hæmorrhagiam audacter præsagii; jussi, ut Caput Nasusque Aqua Calida foverentur, Domusque istius Praesidi indicavi, persuasum me, post Vasorum Relaxationem, secuturam immediate Haemorrhagiam. Intra horam deinde adhibebatur Fomentum, vixque aeger tantillum Aquae Naso attraxerat, cum statim duodecim fere Sanguinis Guttae effluerent. Hanc, tam perfecte adimpletam, Prognosin ingens mihi Delectamentum peperisse, fateri cogor: eo magis, quod, nunquam me, nisi *Solani* Observationibus inductum, ea de re vel cogitaturum fuisse, certo scirem.

Parca adeo Hæmorrhagia liberando Capiti non suffecit; Grave hoc & Vertiginosum mansit; Pulsusque Dicrotus

toto

toto sequenti die Insignis, sed proximis duobus aliquantulum Irregularis, erat. Statuebam igitur, experiri, utrum ibidem latens etiamnum ad Hæmorrhagiam Dispositio remansisset, postremoque Molimine contendere, ut per eam Evacuationem ægri Caput levaretur: quapropter bina ipsi supradictis similia Fomenta; unum 31. Octobris Vesperi, & proximo mane alterum, præscribebam. Successit mihi prima Intentio; sollicitata enim Natura post secundum Fomentum exigua Sanguinis adparitione respondit; sed altera, Capitis Levamen scilicet, neutiquam implebatur. Secundus Ictus toto die leviter perseverabat, & per difficilem ægri Loquelam, Vesperi, Linguam ipsius Torpidam evadere, adeoque Nervorum Capitis Compressionem fieri, detegebam.

Solanus, qui à 16. Octobris ægrum, nullo ad Hæmorrhagiam respectu, tractaverat, quam nos, haud exigui in ejusmodi Morbo Usus esse posse, existimabamus, ea nunc ratione dirigebat Curam, quæ cum meis in hac Observatione partibus subsistere absolute haud poterat: quare

quare eam minus curare cœpi; & a 1. Novembris ægro quotidie non nisi semel adfui. Præter alia Remedia, adstringentes Lotiones, Fronti ac Temporibus applicandas, præscribebat Doctor, ad præcavendam Hæmorrhagiam, & per intervalla purgabat. Interea Pulsus Dicrotus, vel levis, vel irregularis, ad 4^{am} Novembris usque continuabatur. Hoc die, post meridiem, Pulsum exploranti mihi Secundus Ictus evidens validusque adparuit; sed denuo usque ad 8^{am} Vesperi imminuebatur: quo tempore manifestus ac vehemens insurrexit; & proximo mane, omnibus prægressis majorem, Hæmorrhagiam patiebatur æger: Capitis autem Symptomata increscebant.

Reliquus hujusce Casus, dum *Antequeræ* degerem, Decursus referri non meretur. Sed, postquam discesseram, ægrum duas adhuc Hæmorrhagias subiisse, *Solanus* scripsit; quarum singulas Pulsus Dicrotus prægressus fuerat; qui tandem, remotis Obstructionibus, ægroque convalescente, evanuit.

Haec

Hæc adeo constans ad Narium Hæmorrhagiam Dispositio, sociaque Symptomata, ex Obstructione Hypochondriorum, productaque inde Aortæ inferioris Compressione, & subsequente Sanguinis versus Caput Transfluxu, suam videntur traxisse Originem.

Tales erant tres istæ Observationes, quæ, dum *Antequeræ* morarer, circa Pulsum Dicrotum occurrerunt.

OBSERVATIO IV.

Anno 1737, brevi postquam *Antequera* redieram, Dominus *Wilhelmus Tyrry*, Domini *Joannis Tyrry*, Armigeri, Filius, Marchionis *de la Canada*, *Gadensis*, Nepos, cum Capitis & Stomachi, qui ab Indigestione quadam nascebatur, dolore, levi simul Febricula laborabat. Sub Pulsu, ad singulas Diastoles, Dicroto, Nasi Hæmorrhagia adfectum reperi: Sanguinem dimidiæ fere Unciæ copia evacuavit, & intra quadrantem horæ Secundus Ictus omnino disparuit *.

OB-

* Vide p. 4. n. 6.

OBSERVATIO V.

In Nosocomio *Gadensi S. Joannis de Dios* doloribus Pleuriticis, Tussique, juvenis Aethiops adfligebatur. 1. Januarii 1738, mane, Narium Hæmorrhagia adfectum reperi; tuncque prima vice ejusdem Pulsum exploravi: Dexter Pulsus qualibet Diastole leviter, Sinister insignius, sed non continuo, Dicrotus adparuit: talisque, præsente, peractaque, hac Hæmorrhagia, mansit: donec brevi Intervallo æger exiguam iterum Sanguinis quantitatem dimitteret. Quare, secunda vice, examinavi Pulsum, &, Simplicem regulariter cum Pulsu Dicroto Diastolen alternari, expertus sum: sensim ille imminutus fuit, minus frequens evasit, brevique Naturali Pulsationis Ordini * integre locum cessit.

Post meridiem, ac proximo mane, Pulsus Dicrotus obscure adparuit †, &, quarta secundæ postmeridiei hora, paucas de Naso Guttas stillavit æger; quem, elapsa deinde hora, invisi, sed tunc ne minimum qui-

O

* Vide pag. 4. n. 6.

† Pag. 5. num. 7.

quidem Secundum Ictum detegere potui. Absque ullo (seu Pulsus, seu alia quæcumque, considerarentur) Hæmorrhagiæ Symptomate, vel Impetu, aliquot deinde diebus intra Nosocomium remansit.

OBSERVATIO VI.

Die 2. Januarii 1738. ad idem Nosocomium venit robustus Juvenis, levi adfectus Febricula, & Frigore trepidans. Pulsus ejus plenus erat, leviterque Dicrotus. Atque ita, sine ullo alio Hæmorrhagiæ indicio, perseveravit usque ad 3am Vesperi: quo tempore, ad exonerandam alvum nitenti modica subito Sanguinis copia de Naso erupit.

Proximo mane, eundem, ut ante, Pulsum Dicrotum observabam; sed æger diutius intra Nosocomium remanere noluit.

OBSERVATIO VII.

Anno 1738, Dominus *Wilhelmus Knight*, Nobilis, ætatis circiter viginti annorum, Juvenis, qui cum Dominis *Man-*

Mannock & *Ryan*, Armigeris, *Gadibus* cohabitabat, lethali Maligna Febre prehendebatur, cujus ipſo initio, una cum variis violentæ Irritationis indiciis, Pulſum continuo Dicrotum animadverti; talisque, ſine ulla Hæmorrhagia, biduo perſtitit: quo finito, ſub ſpontanei Vomitus conatu, cum impetu, & modica quantitate, Sanguis de Naſo erupit. Proximo, ac ſequenti, die eumdem detegebam Pulſum; nulla nova Hæmorrhagia adparuit; ſed Delirus evaſit æger, manſitque, donec poſt quatuor deinde dies occumberet.

Binæ hæ poſtremæ ObſervationesHæmorrhagiæ, ob Vaſorum Sanguiferorum Reſiſtentiam impeditæ (*pag.* 74. *num.* 4.) Exempla ſuppeditant.

OBSERVATIO VIII.

Die 10. Martii 1738, robuſtus Juvenis, cum Quartana Intermittente, & Pulſu Dicroto, ad ſupradictum Noſocomium acceſſit. Febris hactenus peculiari illo Symptomate ſtipata fuerat, quod, eadem cum Paroxysmis proportione, Naſi Pru-

ritus inciperet, augeretur, atque decresceret.

Pulsus Dicrotus continuabatur leviter, donec 28. ejusdem Mensis aeger Nosocomium desereret; praeterquam 23. & 24., quibus plenior distinctiorque adparuit.

Toto hoc tempore, indies, Frontis, Temporum, totiusve Capitis, dolore aut tensione, sed Nasi praecipue, Oculorumque, Pruritu, & frequenti Sternutatione*, adfectus fuit.

Die 11, 12, 13, & 14, pauxillum Sanguinis de Naso emunxit, & 25, septuaginta vel octoginta circiter Guttarum Haemorrhagiam patiebatur.

No-

* Ut caveatur inutilis Observationum repetitio, animadvertere hic conveniet, quod, ex ultima hac Paragrapho, accuratam Regularium absque Hæmorrhagiis Casuum ideam comparare sibi Lector possit, quales pag. 66. memorati sunt. Diversorum Casuum differentia in memoratorum ejusdem Paginæ initio Symptomatum cum Nasi pruritu & sternutatione, omnium fixissimis, varia tantummodo combinatione consistit.

Notari meretur, Pulsum Dicrotum, 11, mane, in Sinistro, quam Dextro, Carpo evidentiorem extitisse, etiamsi Dextri lateris Pulsus eodem tempore oplenior, & omni, cui Dicroti Pulsus obscuritas potuisset adtribui, Impedimento immunis foret. Idem similiter in diversis aliis contigit.

OBSERVATIO IX.

Christoval Romero in idem Nosocomium adducebatur die 18. Februarii 1738. Prægressis quinque diebus, a frigidi Venti injuriis Cephalalgia adflictus fuerat. Explorando Pulsum, Dominus *Petrus Roxus*, Nosocomii Medicus, Secundum Ictum ad singulas Diastoles continuum deprehendit: 19. idem percepi ego: levis erat; vesperi gradatim evanuit; 20, mane, iterum revertebatur; post meridiem nonnihil obscurior evasit; sicque perseveravit usque ad 23. mane.

18., Et sequenti Nocte, Sanguinem larga quantitate octies per Nasum dimisit æger; unde Caput ejus levabatur: 19. binas Hæmorrhagias subiit; secunda

Hæmorrhagia satis insignis erat, ulteriusque levavit Caput: 20. unicum notabile Symptoma, residuus quidam Occipitis dolor, superfuit; cui 21. post meridiem Temporum dolor accessit; Ambo vesperi Aquæ calidæ Fomento dissipabantur: 23. etiamnum de Cephalalgiæ suæ reliquiis conquestus fuit, cœpitque obstupescere: proxima die Delirus ac Somnolentus evasit; mane Pulsus, aliquando post tertiam & octavam, sed post quartam passim, Diastolem intermisit: eadem die subsequebatur Diarrhœa; verum absque ullo ægri levamine, qui, Convulsionibus adflictus, intra paucos deinde dies succubuit.

Alium, huic analogum, Casum observavi, in cujus initio, licet æger, qui Pulsum Dicrotum exhibebat, insignem Narium Hæmorrhagiam pateretur, aliquot nihilominus diebus Stupidus ac Catalepticus evasit.

Ex binis hisce Casibus, Septima Capitis hujus Observatione, aliisque, manifeste constat, Pulsuum *Solanianorum* Adparitionem ad Crises stricte dictas limitatam non esse; hasque igitur illis exclusive

ve non significari. Omnium simul Phænomenōn Productum, Regula est, qua, utrum Evacuationes, hisce Pulsibus indicatæ, Criticæ aut symptomaticæ futuræ sint, determinari debet. Attamen, a præcipuo, cui adhibentur, usu, Pulsus Critici appellari legitime poterunt.

OBSERVATIO X.

Desumpta ex Litteris Amici mei, Doctoris Petri Roxi, *Membri Honorarii Academiæ Medicæ* Madritensis, *& Nosocomii* Gadensis S. Joannis de Dios *Medici Ordinarii.*

- - - - - Elapsa septimana, alius in meo Nosocomio Narium Hæmorrhagiæ Casus accidit, in Adolescente, qui, cum ingenti Temporum dolore, levi Febricula ægrotabat. Exiguum ad singulas Diastoles in ipso Pulsum Dicrotum deprehendi, quem varii etiam Monachorum, ægro famulantium, observarunt, uti & Doctor *Franciscus Garzia*, qui tunc casu aderat. His fretus, sine ulla temporis limitatione, Narium Hæmorrhagiam indicavi. Bidui spatio, absque ulla Muta-

ratione, aut Remediis, descripto jamjam Statu permansit æger: tum vero ad sex circiter unciarum copiam Sanguis de Naso prodiit; unde Temporum dolor admodum imminutus fuit. Paucis post horis visebam ægrum, Pulsumque, eadem ratione, Dicrotum deprehendens, alteram Hæmorrhagiam prænuntiavi †; quæ sequenti pariter mane adparuit: post hæc Secundus Ictus desiit, ægerque convaluit.

Doctori *Garziæ* admodum placuit Observatio hæc, prima scilicet Hæmorrhagia, quam Pulsus ope prædictam viderat.

Gadibus, die 7. Octobris 1737.

Don Pedro Rixo.

† Vide pag. 5. num. 7.

OB-

OBSERVATIO XI.

Ab Amico meo, *Domino* Joanne de Pedraza y Castilla, *Philosophiæ ac Medicinæ Baccalaureo*, *mihi communicata.*

- - - - - Inter alias meas Observationes valde singularis est sequens: Vocabar, ut *Joannem de Toledo*, novendecim annorum, & tenui Corporis Habitu præditum, Adolescentem inviserem. Habitabat in *Calle de la Yglesia* * (sic dicta Platea); illoque tempore Tertiana Intermittente Duplici laborabat. In Paroxysmorum intercalationibus levissimum quemdam Pulsum Dicrotum ad singulas Diastoles deprehendi, ea exacte proportione, uti accederet, incresceretque, Paroxysmus quilibet, manifestius insurgentem. Prima, dum id observarem, vice, annuntiavi ægro, futuram illo, quem tunc patiebatur, Paroxysmo, Hæmorrhagiam Narium. Mane redeunti, se præ-

* In *Rio Gordo*, Villa *Andalusiæ*, ubi hæc Observatio facta fuit.

præcedente Vespera, in vigore Febris, cum Pruritu Nasi, ingentem Suffocationem percepisse, illaque parte tres Sanguinis uncias evacuasse, retulit. Hac, & sequenti, die, parem Prognosin renovavi, pari Fundamento, Successu pari. At, cum Hæmorrhagias istas debilitare potius, quam levare, ægrum animadverterem, neglexi illas, paucasque Tartari Vitriolati, Nitri Antimonii, & Salis Absynthii, doses exhibui: quo facto, Febris, Pulsus Dicrotus, Hæmorrhagiæque, evanuerunt.

Addit: Observatio hæc pro Exemplo mihi serviit in aliis binis Adolescentibus, *Josepho Manojas*, in eadem Platea, & *Joanne Pernia*, in *Calle del Cura*, qui eadem Febris specie adflicti erant, Hæmorrhagiisque, quas ex Pulsu Dicroto similiter prænuntiaveram. Hi ejusdem Remedii ope sanabantur.

Antequeræ die 13. Novembris 1738.

Don Juan de Pedraza y Castilla.


OB-

OBSERVATIO XII.

In Epiſtola, quam ab eodem die 21. Martii 1738. accepi, ſequens Paragraphus legitur.

Amicus noſter, Dominus *Chriſtophorus Solanus*, Febris Continuæ Putridæ ſextum nunc diem agit; ſed absque ullis periculoſis Symptomatibus: jamjam Narium Hæmorrhagiam paſſus fuit; alteramque Copioſiorem hoc mane. Utrasque Pulſus Dicrotus præceſſit, qui nunc etiam, ſed levis admodum, perſeverat. Si in illius Morbi Decurſu aliqua notatu digna Mutatio accidat, proximo Veredario intelliges.

Don Juan de Pedraza y Caſtilla.



CAPUT II.

Novæ Observationes circa Pulsum Intermittentem.

OBSERVATIO I.

20. Januarii 1738, *Syl-vestre de Grana*, robusta Compage Vir, carneoque & firmo Corporis habitu præditus, ætatis circiter quadraginta annorum, cum Dolore in dextra & superiori Thoracis parte, qui Brachium versus extendebatur, ad Nosocomium *Gadense St. Joannis de Dios* accessit. Dolor iste 18. inceperat, & Febre, Siti, Pulsu duro, humidaque Tussi, stipatus erat. Deinceps ad sinistram Mammam, Humerumque, transsiliit, atque adeo violentus evasit, ut æger decumbere nequaquam posset, Quam ob rem bis ipsi Vena secta fuit, cum Levamine; Dolore autem vehementer iterum increscente, adfectæ parti Scarificata adplicabatur Cucurbita; unde melius ha-

habuit: 10. nihilominus Morbi die, Dolore adeo fatigatus, & inquietus, erat, ut in neutrum Latus cubare posset, sed Erectus in lecto sedere cogeretur: Pulsus evenit parvus, inæqualis, & ad singulas fere pulsationes Intermittens. En Morbi Historiam, quam ab Amico meo *Petro Roxo*, Nosocomii Medico, recepi.

Eadem die, videl. 28. Januarii, instruebar de Statu ægri, ipsumque invisebam. Pulsum, secunda quavis tertiaque Diastole regulariter Intermittentem, reperi; qualis ad 5. Februarii usque perduravit: quo die æger post brevissimam agoniam occubuit.

A 28. Januarii, ad ultimo memoratum diem, levem Diarrhœam, Tormina, Borborygmos, Flatuumque per Anum Eruptiones, subiit.

Postremis diebus æger de Palpitatione Cordis conquerebatur, & proxima ante mortem die, Cordis Regionem examinans, ad quamlibet Inspirationem distincte percepi Motum, illi utcumque similem, quem in Emphysemate Aër, aut in

in Trachea Pituita, exhibet. Unde, Fluidi cujusdam intra Thoracis Cavum, vel intra Pericardium, Extravasationem subesse, conclusi. Hæ, aliæque, Morbi Circumstantiæ induxerunt me, ut aperirem Cadaver: nec, injucundum Lectori fore, existimo, si Dissectionis meæ Historiam hic invenerit; partim, ut convincatur, nullam a me supprimi circumstantiam, quæ hujusce Tractatus Scopo repugnare videri posset, partim, quia ejusmodi casus, licet haud ignoti in Medicina, minime tamen vulgares exstant.

Pleuram crassam ac spongiosam, Pulmonesque ipsi, sed sine ulla Substantiæ eorumdem sensibili Alteratione, adhærentes reperi. Pericardio aperto inodori, flavescentis, Puris Pinta circiter effluxit. Tum Cor, verum tota sua Superficie adeo spongiosum, adparuit, atque adeo tectum Crassamento puris, ut id primo adspectu haud cognoscerem, præsertim, quia undequaque, insigni productionum membranacearum, Funiculorumve, quæ illud penitus desigurabant, numero, pericardio cohærebat. Interior

rior pericardii Superficies in eodem Statu fuit, nec, quod suam pariter puris copiam continebat, Mediastinum diversa sese Conditione obtulit. In dextro Thoracis latere, sub Clavicula, inter pleuram atque Intercostales Musculos, purulentus, Ovi magnitudine, Saccus aderat. Dextri pulmonum Lobi superficies inferior, cum respondente adjacentis Pleuræ ac Diaphragmatis portione, alium, sed largum, similis purulentæ materiæ Saccum, interius, ut supra memorati, spongiosum, formaverat.

Inferior magni parvique Lobi Hepatici Limbus pro parte lividus, inanis pene Vesicula Fellis, tumidus nonnihil Lien, & universus fere Tenuium Intestinorum Tractus, ad exiguam a Cæco distantiam, Inflammatus adparuit. Ex Jejuno, Vermium satis crassorum Dodecadem circiter colligebam.

Post bidui Macerationem in aqua, Cor & Pericardium examinavi: interna Pericardii Membrana cellulosa erat, &, puris crassamento plena, adiposam pinguiusculi Hominis Tunicam perfecte æmulabatur

batur: inter binas pericardii Laminas, rubram Carni ſimilem, Subſtantiam deprehendi, unius Lineæ craſſitie: utrum Musculares Fibræ fuerint, determinare non ſuſcipiam. Cordis Subſtantiam, exteriori ejusdem Involucro limitata, Inflammatio haud adtigerat. Intra dextrum Ventriculum parva polypoſa Concretio adfuit, Coloris pallide carnei, ſatis ſolida; hæc ad latus, ſub Venoſis Valvulis, Ventriculo cohærebat, ope Funiculorum quorumdam ligamentoſorum, quos infigebat Carni; inde in Auriculam protrahebatur, cujus centro inſerta erat ligamentoſo quodam Funiculo, qui ibidem ab uno Auriculæ latere ad oppoſitum decurrebat.

In hujus Diſſectionis Hiſtoria aliquæ occurrunt cauſæ, quibus Pulſus Intermisſio probabiliter adſcribi queat, quæque igitur, ad diminuendum, *Solaniano* ſenſu, prægreſſæ Obſervationis Pondus, conferre poſſent. Verum hoc, poſt prudentem (obſervati inter pulſum Intermittentem, ac Diarrhœam, Torminaque, &c., Nexus intuitu) totius caſus, & aliorum

rum ſimilium Factorum, conſiderationem, Lectoris judicio oportet relinquere.

Liceat ex hac Obſervatione brevem obiter animadverſionem deducere; ſcil., admodum manifeſtum eſſe, quanta celeritate, quanto Vigore, internarum Inflammationum Progreſſus impediri debeat; adeoque, quantum acutarum Inflammatoriarum Febrium Eventus dependeat a Methodo, qua hæ in ipſis ſuis Initiis tractantur. Etenim, ſi Inflammatio ad certum quemdam apicem adſcenderit, omnes Medicinæ Vires Suppurationem avertere nequeunt, nec unita univerſæ Facultatis Scientia de Sequelis hujus, cum ſemel formata fuerit, reſpondere poteſt.

OBSERVATIO II.

Die 20. Januarii 1738, poſt meridiem, *Emanuel Carrera* levem & inſtabilem pulſus Intermiſſionem exhibuit. Ingenti tunc Flatuum per Anum Eruptione laborabat; Veſperi binas, flatulentas admodum, Sedes depoſuit. Pulſum ejus præcedenti mane, & ſequenti biduo, exploravi;

ravi; sed nullam Intermissionem detegere poteram, neque aeger de ulla Ventris perturbatione hisce temporibus conquerebatur.

OBSERVATIO III.

Die 29. Januarii 1738. *Gallæciensis* quidam puer, tertia qualibet, quartaque, Diastole, stabilem Pulsus Intermissionem exhibuit. Ab eo tempore, usquedum proxima Vesperi reverterer, quinquies liquidam Alvum exoneraverat. Tunc vero Intermissionem minus frequentem, atque instabilem, deprehendi: & proximo mane Nosocomium deseruit.

OBSERVATIO IV.

Die 30. Januarii 1738, in ægro, cujus Nomen adnotare tunc neglexi, exigui temporis spatio, levem & instabilem Pulsus Intermissionem reperi. Rogavi igitur, an Diarrhœam passus esset? Eo se die binas Sedes habuisse, plurimosque, ipso, quo mecum loqueretur, momento, Borborygmos percipere, respondit. Hi se-

ſequenti Nocte continuabantur, qua Alvum tertia vice depoſuit.

Nec ante, nec poſt, memoratum modo tempus, ſcil. 30. Veſperi, ullam in ejus Pulſu Intermiſſionem deprehendi.

OBSERVATIO V.

Die 22. Februarii 1738, circa Veſperam, in *Michaële Emes*, Nauta *Britanno*, qui in eodem cum ſupra dictis ægris Noſocomio decumbebat, inſtabilem dextri Pulſus Intermiſſionem notavi, quarta, quinta, ac ſeptima, Diaſtole recurrentem. Longis aliquando Intervallis disparebat; tuncque, uti prius, revertebatur. Proximo mane longe levior, minusque frequens, Intermiſſio adfuit. Æger, a 22. circa meridiem, liquidas tres Sedes, & Noctu Borborygmos, habuerat.

OBSERVATIO VI.

Die 14. Octobris 1737., dum *Antequeræ* morarer, Don *Pablo de Caſtilla*, undecim annorum Puer, ſupra dicti Amici

 mei,

mei, Domini *Joannis de Pedraza y Castilla*, ex Fratre Nepos, post immodicam Fructuum horæorum ingluviem, in Quartanam Intermittentem incidit.

Proximo mane, hora nona, Don *Juan de Pedraza*, post singulas pulsationes Pulsum unius communis Diastoles spatio Intermittere, animadvertit; misitque nuntium, qui id mihi indicaret. Hora decima ægro aderam; interea quatuor jam Sedes habuerat: Intermissionem tunc minus frequentem, ac decrescentem, reperi; hæcque reliquo toto die irregularis atque instabilis permanebat. A 10, ad 12, tribus Tenesmis torquebatur.

Sequenti triduo, cum levi Diarrhœa, Tenesmis, Flatibus, & Borborygmis, invicem per Intervalla succedentibus, Pulsus in eodem fere irregulari Statu perstitit. Quarto die purgatus est æger, &, quinque pollices longum, Lumbricum evomuit. Post quæ Intermissiones, Sedesque, minus etiamnum frequentes, & sine ullis Tenesmis, Flatibus, aut Borborygmis, usque ad 22. Octobris Vesperi, eve-

evenerunt; quo tempore, Intermiſſio ad unam, aliamve, ex ſequentibus Pulſationum Periodis regulariter recurrebat, & in eadem aliquamdiu Periodo morabatur, priusquam ad alteram transmigraret: Periodi hæ, ſecunda qualibet, tertia, quinta, octava, decima, vel undecima, Diaſtole deprehendebantur. Ob majorem hanc Intermiſſionis Regularitatem, licet haud talis foret, qualis *Solanianis* Legibus requiritur, Diarrhœam tamen prædicendi periculum ſubii, & Noctu tribus quatuorve ſedibus Prognoſin confirmavit æger.

Intermiſſio minus iterum frequens atque inſtabilis ſuccedebat, & adſtrictior Alvus, donec utrumque Naturalem ſenſim ſtatum repeteret.

OBSERVATIO VII.

Literis Amici mei, Domini Joannis de Pedraza y Caſtilla, *communicata.*

Elapſa ſeptimana, una cum Domino *Antonio Alvarez*, Med. Doct., inviſi

ægram, quam Febre Acuta adfectam deprehendimus, illoque pulsus Intermittentis gradu, qui, futuram intra 24. horarum spatium, Diarrhœam significat. Ad Venæ Sectionem inclinabat Doctor, sed, Diarrhœæ exspectatione, Remedium hocce differebat. Sequenti die, evanuisse intermittentem pulsum, nosque Diarrhœæ spe excidisse, non sine admiratione deteximus. Examinata ægra, post ultimam Visitationem, Menses sibi prorupisse, atque etiamnum continuari, retulit.

Varie ratiocinabamur circa hoc Phænomenon, sed sub Criticis adeo Circumstantiis nulla Remedia præscribebamus. Biduo post rediit Intermissio, & sex septemve Sedibus excepta fuit.

Hic Casus admodum singularis videtur, si tuam mihi ea de re Opinionem communices, exactum tibi omnium, quæ comitabantur, Symptomatum Catalogum transmittam; exspecto etenim, fore, ut majori tunc, quam quod Ne-

gotia

gotia jam admittunt, Otio gaudeam, &c.

Antequeræ die 2. Aprilis 1738.

Don Juan de Pedraza y Castilla.

OBSERVATIO VIII.

Amicus meus, Dominus *Christophorus Solanus*, brevi post patris obitum, communicavit mihi Observationem, cunctis essentialibus Circumstantiis exacte similem prægressæ. In Acuta Febre, post duas Venæ Sectiones, & unum purgans, pulsus Intermittens adparuit; ad Mensium Eruptionem cessavit; his prætergressis, revertebatur; ultimaque hac vice, Diarrhœa Critica stipatus erat *.

OBSERVATIO IX.

Ab Amico meo, Domino Joanne de Pedraza, *communicata.*

Inter alias, circa *Solani* Inventum nuper

 per

* Vide similem Observationem Doctoris *Gomez*, *pag.* 37.

per factas, Observationes, sequens, quem etiamnum tractamus, Casus neutiquam, ut spero, displicebit. *Pedro de Avila*, sexaginta annorum Senex, in Tertianam Duplicem Intermittentem incidit, cui pulsus Intermittens adjungebatur, sed hac peculiari ratione, quod pulsus iste binorum distinctorum paroxysmorum, quibus Febris illa Intermittens componebatur, uni solummodo adhæreret, illius regulariter, cum quo inceperat, paroxysmi pedisequus, dum in altero, toto Febris hujus Intermittentis Decursu, ne semel quidem occurreret.

Dicta pulsus Intermissio, tertia, quarta, & sexta qualibet, pulsatione, recurrit; levis fuit, regulariterque secum adduxit Diarrhœam, cujus sola ope ille, quem comitabatur, paroxysmus integre fere evanuit, & alter, qui ab ipso Initio violentissimus fuerat, plurimum nunc imminutus est. Sum &c.

Antequeræ die 6. Augusti 1738.

Don Juan de Pedraza y Castilla.

Quam

Quam Regulares, quam Stabiles, quam Sensibiles, in tribus hisce postremis Observationibus, Naturæ Impetus!

OBSERVATIO X.

Ejusdem.

Diversas alias, de Sudoribus ac Diarrhœis Criticis, per relativos pulsus prævie indicatis, communicandas tecum Observationes habeo: sed illas proximæ Opportunitati servare cogor. Interea tibi significandum existimo, me aliquos Intermittentium Pulsuum Casus observasse, ubi nulla Diarrhœa, sed ingens, ejus loco, Ventris Tumultus, ac Murmur, cum Flatuum per Anum explosione, adparuit.

Antequeræ die 13. Novembris 1738.

Don Juan de Pedraza y Castilla.

OBSERVATIO GENERALIS.

Ab eodem communicata.

- - - - - Alium Malignæ Inflammato-

 riæ

riæ Febris Casum hoc tempore tractamus, ubi tres successive diversæ Crises, una per Sudorem, per Alvum altera, tertia per Hæmorrhagiam Nasi, singulæ relativo suo Pulsu prævie indicatæ, adparuerunt; & melius habet æger. Hujus, aliarumque, Observationum exactas tibi Historias transmittam, simul atque permittet otium &c.

Antequeræ 21. Maji 1738.

Don Juan de Pedraza y Castilla.

Varii deinde intervenientes Casus meum cum prædicto Domino Commercium suspenderunt primo, tandemque integre abruperunt. Hæc ratio est, cur in præcedentium Observationum, data occasione, uti sub Praxis, diversarumque Occupationum, Impedimentis licebat, mihi communicatarum, aliquibus Ægrorum Nomina, & peculiares aliæ Candoris Tesseræ, juxta ipsius, meamque, Intentionem, accurate suppleri non potuerint.



CAPUT III.

Prima Observationum Solanianarum *Originis succincta Historia.*

Data hactenus Rerum, in *Solanianis* de Pulsu Observationibus præprimis essentialium, exacta & fideli Historia; iisdem, per varia nova Facta, nunquam prius edita, confirmatis atque illustratis; similis naturæ Exemplis quibusdam apud *Veteres* detectis; validissimisque, quæ de earumdem Observationum Veritate ac Certitudine requiri possent, Documentis, in variis magni momenti Testimoniis, quæ in illarum Favorem conspirant, adlegatis; Restat jam, ut, primæ Rerum adeo Insolitarum Originis adjecta Historia, Lectorum Curiositati satisfaciam; *maxime* profecto *Insolitarum*, inter omnes, quæ post Circuitus Sanguinei Inventum usque nunc in Publicum emanarunt.

An-

Anno 1707, cum *Solanus*, Medicinæ eo tempore Studiosus, Domini *Josephi Pabli*, Medicinæ Doctoris, & in Universitate *Granatensi* Professoris ac Vicedecani, Praxin in *Sti. Joannis de Dios, del Refugio*, atque *el Real*, Nosocomiis frequentaret †, in variis ægris Pulsum sæpe Dicrotum expertus est, & *Pablum* de Causa hujus, Usuque, consuluit. Suadebat hic, ut ejusmodi Quisquilias, non nisi ex fuliginosis quibusdam Vaporibus oriundas, negligeret: quam ob rem Juvenis *Solanus* nullam deinde huic Phænomeno Attentionem adhibuit: donec Observaret, eos, qui ægris famulabantur, in quotidianis Symptomatum, quæ ipso absente contigerant, Relationibus, iterum iterumque *Pablo* mentionem injicere de Hæmorrhagiis Narium, in iisdem ægris, in quibus Pulsum Dicrotum ipse (*Solanus*) deprehenderat. Hoc curio-

† In *Hispania* Moris est, ut, post Medicinæ Studium, Candidati, pro Gradu Doctoratus, Medici alicujus Praxin biennio frequentent: cæterum non admittuntur. Quemlibet Spectatum Medicum ejusmodi semper Discipulus sequitur, quem *Practicante*, vel *Passante*, vocant.

riositatem ejus, Attentionemque, resuscitavit, ac, serio agitata re, ad accuratius supra dicti phænomeni Examen impulit.

Proximus, in quo pulsum Dicrotum observavit, Æger, viginti duorum annorum Juvenis, Ardenti Febre impetebatur. Eventum operiri decreverat: Remediorum igitur, a *Pablo* præscriptorum, Usum clam avertit. Violentissima interim Mentis Inquietudine, ob *Avicennæ* auctoritatem, angebatur, qui, jamjam lectus, *Pulsum Martelinum* (sic vocat Dicrotum) *Malum esse*, enuntiaverat †. Sed iis denuo, quæ aliis ægris post eumdem pulsum acciderant, incitatus, statuit nihilominus, Casum hunc Naturæ committere.

Sub hisce Angustiis, Juvenis *Solanus*, a quinta Matutina ad sextam Vespertinam usque, integrum transegit diem: quo tempore Nasi Hæmorrhagia adparuit, quæ, Intervallis aliquot comprehensis, unius & dimidiæ horæ spatio protrahebatur: placide fluebat Sanguis, & sex cir-

† Lib. 4. Fen. 2. Tract. I. cap. 27.

circiter Uncias toto illo tempore adæquabat.

Ab initio ad finem Hæmorrhagiæ exquisitus Observator ægri Pulsum non deseruit: eadem, qua Hæmorrhagia imminueretur, proportione, plenitudinem quoque, ac Frequentiam, Pulsus imminui, & Secundum Ictum sensim debilitari, fereque imperceptibilem evadere, deprehendit; sed, aliquamdiu ante singulos Hæmorrhagiæ Insultus, adsurgere denuo, ac manifeste increscere; &, licet ab ipsis totius Hæmorrhagiæ Initiis Plenitudo Pulsus & Frequentia paulatim decrescerent, Secundum attamen Ictum ante quemlibet Hæmorrhagiæ Paroxysmum Periodice reverti; donec illa omnino denique transiisset. Huius Crisis ope æger perfecte convaluit. Insolitus adeo Casus *solanum* Juvenem ineffabili Gaudio ac Stupore perfudit. Paucis deinde diebus, in altero quadragenario Ægro, similem in simili Febre Observationem, fausto non minus Successu, concinnandi, Opportunitate gavisus est: hac tamen Differentia, quod minor priore Hæmorrhagia,

rhagia, & Secundus Arteriæ Ictus primo debilior, adpareret; unde, de futuræ Hæmorrhagiæ copia ex pulsu dijudicanda, Ansam arripuit Observator.

Animo ad tales, quotquot occurrerent, Casus assidue intentissimo, suas de pulsu Dicroto Observationes ad illud sensim perduxit Fastigium, quod in hoc Opere Lectori innotuit.

Semel in Pulsum fixa *Solani* Attentio novam brevi, Intermittente Pulsu, admirationis & oblectamenti scenam aperuit. In memorato ante Nosocomio *del Refugio* Æger quidam Febre Acuta adfligebatur, cujus tertio die, Pulsum Intermittentem, aliquando singulis septem, aliquando singulis octo, Pulsationibus recurrere, *Solanus* sensit: quod, Morbi magnitudini copulatum, ex recepta tunc Prognosis Regula *, lethale, prima fronte, Indicium judicabat. Sed deinceps, suas de Pulsu Dicroto Observationes recolligens, ad quaslibet Casus hujus Permutationes sollicite attendere, & examinare, statuit, numquid Intermittentem Pul-

* Vide pag. 93.

Pulſum aliquis forte Effectus exciperet, iis analogus, quos Pulſui Dicroto ſucceſſiſſe animadverterat. Præſcriptorum Remediorum, ut in prægreſſo Caſu fecerat, Uſum cavit. At hic denuo, quæ primo nuper Hæmorrhagiæ Caſu inexpertum Obſervatorem torſerant, Dubia & Anguſtiæ recurrebant. Hæc ipſum toto tertio die, & quarti dimidio, excruciarunt. Tunc autem, ingenti eo tempore Anxietate, acribusque Torminibus, adflictus æger in copioſam denique Diarrhoeam incidit. *Solanus*, cui id indicabatur, ſtatim ad Noſocomium advolat, explorat ægri Pulſum, Intermiſſionem ſecunda quavis Diaſtole recurrentem percipit, & illo, quod ad ægri latus tranſegit, duodecim horarum ſpatio, ſæpe tangendo Pulſum, uti Diarrhoea procederet, ita Intermiſſionem imminui, detegit, donec, ægro omnibus Incommodis libero, omnino tandem evaneſceret.

Sic Juvenis Obſervator novum ſibi indies Lumen, Diligentiæ ſuæ Præmium ſimul & Incitamentum, irradiare perſentiit.

tiit. Reliquo Anno 1707. Obſervationes ſuas feliciter, ſed clanculum ſemper, proſecutus fuit, ut, de impedito Remediorum, ægris ſub Dicroto & Intermittente Pulſu præſcriptorum, Uſu, Doctoris *Pabli*, Viri violentiſſimo Temperamento præditi, Offenſam deflecteret. Denique Anno 1708. Oblectamento fruebatur *Solanus*, illam, quam hac via acquiſiverat, ſcientiam, Publico Manifeſtiſſimoque Exemplo, demonſtrandi.

Don *Franciſco del Caſtillo*, Medicinæ Doctor, *Granatæ* in Acutam Febrim incidit. Admodum ſaeviebat Morbus, tresque, in illa urbe Praeclari, Medici Collegae ſaluti praeerant. Sexto Febris die, Pulſum poſt ſecundas quasque Diaſtoles Intermittere experti, Ægrum certiſſime Moriturum, unanimiter pronuntiarunt. Juvenis *Solanus*, qui eo tempore *Pabli* Praeceptoris Praxin frequentabat, petebat, ſi liceret, ſuam de hoc Caſu Opinionem exprimere; ſeque pro Naturae Molimine ad evacuandos per ſedem Morboſos Humores Pulſus Intermiſſionem accipere, coram omnibus de-

clarabat. Sed ſtatim Juveni indicebatur ſilentium; Temeraria ejus Opinio, & *Galeno* Contraria, cenſebatur; Ægri Morte Familiaribus annuntiata, abrumpebatur Conſilium.

Hora, eadem Veſperi, octava, violentiſſimos Ventris dolores, ſupra Pubem præcipue, percepit Æger, totisque viribus inclamavit Remedium. Confeſtim uni Medicorum mittebatur nuntius: Juſſit ille, ut alborum Liliorum oleo Abdomen inungeretur. Dolores nihilominus usque adeo intendebantur, ut, ſumma Anxietate, Æger de lecto ad cubiculi angulum exſiliret. Triſti hoc ſpectaculo perturbata, univerſa repente Familia circa ægrum confluxit, ipſumque largam Craſſæ ac Opacæ Urinæ copiam, duasque aut tres Sedes, evacuaſſe, reperit. Placide porro repetiit lectum, tota Nocte dormivit optime, & Febre liber evigilavit.

Diarrhœa, priusquam contingeret, indicata, præſertim ut ſequela ſymptomatis, quod Medici Lethale declaraverant, Juveni *Solano* non exiguum ſane Hono-

rem

rem peperit, uniusque ex prædictis Dominis Favorem lucrata est: sed, quia Doctoratus Gradu etiamnum destituebatur, nullum inde solidum Beneficium retulit: &, angusta Domi re, Praxin exercendi causa, *Illoram*, parvum in vicinia Oppidum, discedere, haud diu post coactus fuit.

In hac Urbe, ubi, Archiatri titulo, Medicinam profitebatur, circa Anni 1709. finem, vel sequentis initium, frequenter Pulsum quemdam Inæqualem reperit, quem parum admodum curavit, donec, peculiari, qua, post supra dictas Observationes, Pulsum semper examinabat, Diligentia, illum, Dicroti atque Intermittentis more, Regularibus sæpe Periodis recurrere, intelligeret. Ad quaslibet nunc, quæ in Pulsu occurrerent, Novitates abunde præparatus, Pulsum hunc sollicite explorabat, quem Criticis in universum Sudoribus, sed subinde Simplici tantum Humiditate, aut Eruptionibus Cutaneis, stipatum esse, deprehendit (de binis ultimis nullam in Prædictionum Legibus mentionem attulit); &, ut alias

 olim

olim de Dicroto atque Intermittente Pulsu perfecerat, sic hasce etiam de Pulsu Inciduo Observationes, iterato Opere, perpolivit.

Jamque in Prædicendis Crisibus *Illoræ* Famam acquisiverat *Solanus*, cum *Franciscus de Castro Palomino*, in eodem Oppido Chirurgus, illas, quarum adminiculo tot stupendas, uti ipse testis fuerat, Prognoses conficeret, Leges noscere, exoptabat. Hunc ea de re instruxit Auctor, permisitque, ægros suos inviseret; unde tantam in hac Methodo Experientiam adeptus est, ut, postquam *Illoram* reliquisset *Solanus*, variis ibidem loci felicibus Præsagiis celeberrimus evaserit, & commune, quocumque urgente Casu, Refugium.

Proximus, cui suam Prædicendi Artem communicavit *Solanus*, Don *Pedro Fermin* appellabatur, qui tunc Praxin ejus frequentabat in *Rute*, & *Iznajaræ* postea, nec non *Granatæ*, ubi Praxin Medicam exercuit, Crises faustis sæpe avibus prænuntiavit. Ad binos hosce Dominos, ut maturæ suarum de Pulsu Ob-

Obſervationum Originis Teſtes, Auctor publice provocare conſueverat.

En Hiſtoriam, quam de novarum Obſervationum incunabulis a *Solano* ipſo accepi. Hæc in quibusdam (a mere Medica Hiſtoriæ Parte alienis) ab iſta differt, quam in *Lapide Lydio* evulgavit; ſed ibi, quæ *Pablum* Præceptorem potuiſſent offendere, omnia prætermiſerat.

Multiplex porro in Criſium Prædictione Lumen, quod Pulſu certe obtineri non poterat, *Veteribus* ſe debere, agnoſcebat *Solanus*. Haud dubie animadvertit Lector, Auctorem, variis in hoc Opere Caſibus, futuras ad ſtatam horam Criſes, ipſasque, quæ comitarentur, Circumſtantias, prædixiſſe. Hoc, prima fronte, admodum ſtupendum & incredibile adparet ſingulis, qui *Antiquorum* Obſervationes de Febrium Acutarum Natura, Charactere, generali Decurſu, particularibusque Paroxyſmis, & de diverſis, ad quas in ejusmodi Febribus & Paroxyſ-

mis variæ Crises solent occurrere, periodis, haud recolligunt: harum autem Circumstantiarum intuitu, cessat Stupor, & facillime concipitur, qui indicata per pulsum Crisis ad peculiarem Horam, & peculiaria ipsi jungenda phænomena, restringi queat. Sic v. gr. in Acuta Febre, regularibus paroxysmis, intra 24. horarum spatium futuram per Sudores Crisin pulsus indicet; illa, qua Paroxysmi Remissio exspectatur, Hora determinanda erit, ut tempus Crisis; quæ, juxta specificam Febris indolem, violentiam, lenitatem, Ægri robur, temperamentum, ætatem, diversas alias conditiones, ipsiusque Crisis magnitudinem, Delirio, Rigore, Anxietate, &c., vel stipata erit, vel immunis. Pro Subjecto, quod ab *Antiquis* adeo accurate tractatum est, Generales hæ Animadversiones sufficiunt.

Non inutile erit, Lectorem hoc loco instruere de Circumstantia quadam, in Historia prædicti a *Solano* Icteri (*p*. 49.) prætermissa. Pulsus Incidui memorata ibidem Durities Auctori innuit, notatam inde Crisin haud futuram per Sudores: sed quid ipsum induxerit, ut Icterum fore judicaret, nequaquam exprimitur. Profundum hoc Mysterium videri potest, quod, ut penetretur, eximium quoddam Ingenium postulat, atque etiamnum forte Lectoris animum suspensum tenet. Sed revera nihil aliud erat, quam obviarum aliquot Morbi Circumstantiarum facilis quædam Combinatio. Melancholiæ Hypochondriacæ, triduo ante Crisin, Hypochondriorum Dolor & Tensio supervenerant: hæc, ex Pulsu, quo alia Crisis species indicabatur, nec Diarrhœa, nec Vomitu, nec Urinæ Profluvio, terminanda judicavit Auctor; adeoque, Icterum fore, conclusit, maxime Naturalem scilicet hujusmodi Casus Progeniem.

Sic ad vulgares aliquot, in unum adspectum collectas, Circumstantias exquisita Attentio tacitas Naturæ Operationes detegit, atque in Lucem educit Res, quæ Humanæ Industriæ Limites superare, cæteroquin viderentur.

EPILOGUS.

Galenus, a *Baglivio* adlegatus, *Pulsu post singulas pulsationes Intermittente proxime instantem Mortem denuntiari*, statuit. Idem se in Acutis Febribus observasse, adfirmat *Baglivius*. Pulsus, illo gradu, *Solaniano* sensu, Intermittentis unica, quæ novi, Exempla *Prosperi Alpini* Observatio, & *Obs. 6. pag. 165.* jam inde memorata, suppeditant. Agnoscere oportet, quod, in earum prima, Ægra, licet Crisis beneficio convalesceret, sub imminenti tamen periculo, aut fuerit, aut esse saltem adparuerit. In altera autem, quantum animadverti potuit, tam brevi tempore Intermissio perstitit, ut neutra ex parte isthæc urgeri queat.

Ægros


Ægros revera aliquot, Acutis Febribus conflictatos, Intermittente ad secundas quaslibet tertiasque Diastoles Pulsu, feliciter convaluisse, variis in hoc Opere Observationibus demonstratum est. Verumtamen Casus, a *Baglivio* memorati, Eventus periculosus hactenus, si non lethalis, videtur. Nihilominus, ut res hæc absolute decidatur, multum verisimiliter contribuere poterit pulsus Conditio: Parvus, Debilis, & ad singulas præsertim Diastoles Intermittens, pulsus lethale, in universum loquendo, Indicium suppeditet. Huncque, ut videtur, Casum, in prima de Intermittente pulsu propositione, *Solanus* respexit; quem (*pag.* 6. *n.* 1.) *Tunc tantum Mortem portendere*, enuntiat, *cum robur, ad perficiendam Crisin requisitum, deficit.* Sed utrum pulsus, eo gradu, Intermittens, validus licet & insignis, Signum Fatale exhibeat, id, una cum omnibus, quæ huc usque dicta sunt, prudenti Lectoris Meditationi atque Experientiæ, submisso animo relinquam. Etenim, ut illud hic repetam, referre Facta, novam Observationum Scenam reclu-

cludere, aliosque, majori Experientia & opportunitate feliciori me præcellentes, Medicos ad ſerium adeo inſoliti, adeo gravis, Negotii Examen impellere, præcipuus mihi Scopus fuit, &

Fungar vice Cotis.

FINIS.





INDEX GENERALIS.

A.

ACCIDENTALIA (*Symptomata*) Vid. *Symptomata.*
ACUTÆ *febres* vid. *Febres acutas.*
ADSTRINGENTIA.
Fugant *Pulsum Dicrotum.* 137
Fugant *Pulsum Intermittentem.* 39
AER.
Ejus calor *Gadibus* vid. *Calor.*
— frigus *Gadibus* vid. *Frigus.*
ÆTHIOPS.
Ejus casus. 147
ALBERTINUS (*Hippolytus Franciscus.*) Ejus Observationes:
De necessario, pro radicali Febrium Intermittentium cura, *Crisium* cum Cortice Peruviano concursu. 114 ad 117
De ejusmodi Intermittentibus Febribus, quas, vel comitatur, vel præcessit, consuetæ cujusdam Evacuationis suppressio. 117
Con-

Confirmatæ a variis aliis Medicis. 114
ALPINUS (*Prosper.*)
Ejus Error, quoad Propensionem Pulsus Intermittentis in Acutis Febribus. 54
Ejus Observatio circa hunc Pulsum. 53
Hæc duabus Conditionibus a *Solanianis* Prædictionum Regulis videtur discrepare. 54. & 55
In *Solani* favorem manifestum testimonium. XVIII. 52. 57
Ad *Solani* ætatem in Adversariis Medicis obscura. XVII. 57
ALVAREZ (*Dr. Don. Antonio.*)
Ejus Observationes circa Pulsum Dicrotum. 23. 133
Testis fuit variarum Prædictionum *Solani*. 32, 34. 42. 167
ALVI *Constipatio.*
Quandoque observata sub Pulsu Intermittente. 70
ALVI *Laxitas.*
Quandoque observata sub Pulsu Intermittente. 70
ANGLI *Medici* vid. *Medici.*
ANTIQUI.
Casus, ex iisdem, *Solanianis* Observationibus analogi. 52
Auctoris præsentis Opusculi Animadversiones circa *Crisium* considerationem apud eos. 95. ad 130

Ex

Ex iisdem derivavit *Solanus* ea, ex quibus *Crisium* Hora prædici potest. 14. 183. & 184
Eorum Doctrina circa *Crises* non pro ridicula tractanda. 105
Eorum Dogmata circa *Crises* qualia revera sint. 95. & 96
Vendicata Factis. 98. 99. 103. 105. 108. 127
Eorum Facta & Regulæ pro *Crisium* Prædictione adoptata a *Boerhavio*. 107
Eorum Facta a *Modernis* quibusdam confirmata. 98. 99. 107. 127
Eorum Facta confirmata a *Foresto*. 99. ad 102
Et ab *Hoffmanno*. 99
Eorum Facta neglecta a plerisque *Modernis* sine sufficienti causa. 94. ad 98
Incertitudo vel Falsitas Criticorum Signorum, ab iis traditorum, numquam legitime a *Modernis* probatæ sunt. 107. ad 109. 129
Objectiones contra *Crisium* Observationem apud eos, male fundatæ. 97. ad 98
Sollicite Criticæ Evacuationis Copiam observaverunt. 14
Eorum Prognoses, circa Pulsum Intermittentem. 177
Falso lethales. 54. 93
Eorum Regulas de Prædictione *Crisium* feliciter secutus est *Forestus*. 102

APOPLEXIA
Quandoque observata est Sequela Febrium Intermittentium, curatarum per Corticem, absque interventu *Crisium.* 117
ARTERIÆ.
Aortæ Inferioris compressio vid. *Compressio.*
Axillarium Arteriarum compressio. vid. *Compressio.*
Arteriæ Mesentericæ. vid. *Mesentericæ arteriæ.*
Arteriæ Renales. vid. *Renales arteriæ.*
Temporalium arteriarum pulsatio. vid. *Pulsatio.*
ARTERIOTOMIA.
Subiti ejus & mirabiles effectus in Cephalalgiis Chronicis. 120
Applicabilis ad Acutos Casus. 122
Neglecta hisce temporibus. *ibid.*
AUCTOR *præsentis Opusculi.*
Operis ejus momentum consistit in Novitate & Veritate Factorum, quæ continet. VII. Quarum illa facile ab unoquoque Lectore agnoscetur, unde non probabitur. *Ibid.* Hæc vero solidissime pertractabitur, & optime apparet ex Relatione addita. VII. ad XVIII
Opus *Solani* a *Petro Roxo* ipsi traditur. IX. ad X
Illud diligentissime legit, & Observationes omni

omni candore instructas invenit. X. ad XII
Antequeram tamen petit, ne minimo quidem dubio locus foret, & humanissime a *Solano* recipitur, qui Veritatem Observationum suarum ipsi probat. XII. ad XIII. 130. ad 131
Novit aliquos, qui *Solani* Observationes ne quidem animadvertebant, donec mera Experientiæ vi convincerentur. XV
Peculiarem de se ipso mentionem prætermittit, & Lectori de candore suo relinquit judicium. XVI
Lectorem monet de *Solani* in Medicina & Philosophia naturali cognitione infirma, ut omni præmaturæ exceptioni occurrat. XIX. ad XX
Quare Observationum editionem non distulerit. XXI. ad XXIII
Persuaserat *Solano*, ut correctam Observationum suarum editionem præpararet, quam obitus ipsius prævertit. XXII. XXVI
Collegarum & aliorum Medicorum auxilium provocat, ut Observationes perfectiores communicent. XXIV. XXIX. 61. 188
Operis sui Divisionem dat, & veniam a Lectore petit, si leves quasdam incurias observaverit. XXIV. ad XXV

Fa-

Factorum Similitudinem, quantum potuit, evitavit. XXVI
Quare Sinensium Artem in explorandis Pulsibus silentio prætermittat. XXVII. ad XXVIII
Quare peculiare de *Crisium* observatione Caput addiderit. XXVIII. ad XXIX. 90. ad 91
Metuit, ex *Crisium* neglectu, ne opus ejus tamquam fraudulentum Censuram subeat. 91
Objectionem hanc tamen præcavet. 91. ad 94
Adserit *Modernorum* neglectum circa Antiquam Observationem *Crisium* nondum hactenus legitime justificatum. 94. ad 98
Ejus Animadversiones circa *Crisium* apud *Modernos* neglectum & considerationem apud *Antiquos.* 95. ad 130
— — in Sir *John Floyer's Pulsevvatch.* 1. ad 2
Ejus Animadversiones de celeri Inflammationum Progressu in Acutis Febribus. 163
— — — circa Pulsum Dicrotum. 71. ad 80
— — — — — — intermittentem. 81. ad 83
Experientia convictus de nimia Conclusionum latitudine, quas, in Legibus pro Prædictione *Crisium* constructis, fecit *Sola-*

Solanus. XVIII. ad XIX. 15. 78. ad 82. 86. ad 87. 152
Ejus differentia a *Solano* unde pateat. 87
Obſervationum ejus defectus cauſæ quædam. 73. ad 76
Ex ejus Obſervationibus determinari poteſt Connexio inter Criticos *Solani* Pulſus & relativas horum Criſes. 17 &c. 65. ad 76
Ejus Obſervationes *Solanianis* Factis fidem adjiciunt. 86
Differentiæ inter ejus & *Solani* Obſervationes circa *Pulſum Dicrotum*. 17 &c. 71. ad 76
Ejus Obſervationes circa *Pulſum Dicrotum*. 65. ad 69. 130. ad 156
— — — de narium Hæmorrhagia absque *Pulſu Dicroto*. 72
— — — circa *Pulſum Intermittentem*. 69. 70. 158. ad 170
— Obſervatio de Diarrhœa Critica ſine *Pulſu Intermittente*. 140
Non obſervavit *Pulſum Inciduum*, nec *Dicroti* vel *Intermittentis* a majoribus gradatim ad minores adparitiones Progreſſum, nec *Criſes* per *Vomitum* vel *Urinam*. 76
Qua intentione præſentes Obſervationes communicet. 88
Ejus Obſervationes *Solanianis* inferiores. 73. ad 76. 86
— — — — limitant & corrigunt

Leges Prædictionum *Solanianas*. 78. ad 82. 88. 152
Ejus Obſervationes novæ in *Medicina*. 73
— Obſervatio de Pleuritide defuncti Disſectione. 160 ad 163
— Obſervationes repetendæ cum cautela & prudentia. 88
— — — — ſimiles ex *Antiquis*. 52
— Obſervationum Uſus & finis. 88. ad 94
Edoctus omnes *Solani* Obſervationes, æqualis cum iis, quas edidit, exactitudinis non fuiſſe. 86. ad 87
Non omnes *Solanianas* Obſervationes enarrat, ſed quasdam ſeligit. 19

AURES.
Adfectæ ſub Pulſu Dicroto. 66

AVICENNA.
Pulſum *Martelinum* immerito malum enuntiavit. 175

AVILA (*Pedro de*)
Ejus Caſus. 160

B.

BAGLIVIUS.
Obſervatio ejus de fluidis, intra craſſa Inteſtina contentis, & per Veſicam abſorptis. 56
Obſervatio ejus circa Pulſum Intermittentem. 186

BALLONIUS.
Judicii limati Practicus. 111

Stri-

Strictissime prohibet Purgantia, appropinquante, vel præsente, Die Critico. 111

BELLINI.

Opinio ejus ingeniosa tantum Hypothesis contra Crises. 97

BOERHAAVE.

Admittit Facta adlegata, & Regulas statutas, ab *Antiquis* pro Prædictione *Crisium*. 107

BORBORYGMI.

Intestinorum, sub Pulsu Intermittente observati. 32. ad 33. 70. 159. 164. 165. 166

C.

CALOR *Aëris*.

Ejus gradus *Gadibus*. XL. ad XLII

CANDIDATI *Medicinæ*. vid. *Medicina*.

CAPUT.

Ejus adfectionum quarumdam causa videtur fuisse Hypochondriorum Obstructio. 146

Periculosi hujus adfectus, sequentes curam Febrium quarumdam Intermittentium per Corticem, absque *Crisium* interventu. 117

Varie adfectum sub Pulsu Dicroto. 13. 23. 66. 77. 132. 135. 139. 140. 141. 143. 149. 150. 152. 153

CARRERA (*Manuel de*).

Ejus casus. 163

CASTAN (*Doctor Don Pedro*).
Ejus Observationes circa Pulsum Dicrotum. 27
CASTILLA (*Don Pablo de*).
Ejus casus. 165
CASTILLO (*Doctor Don Francisco del*).
Ejus casus. 179
CASTRO PALOMINO (*Franciscus de*).
Primus instructus a *Solano*, de Legibus ipsius in prædicendis *Crisibus*, felicibus præsagiis celeberrimus evadit. 182
CATALEPSIS.
Observata sub Pulsu Dicroto. 152
CATHARTICA, vid. *Purgantia*.
CAUTELA.
In examinando Pulsu Dicroto. 132
In formanda inde prognosi. 88
CEPHALALGIA *inveterata*.
Resistit evacuationibus juxta communem Venæ Sectionis & Purgationis Methodum institutis. 120
Subito curata per Arteriotomiam. *ibid.*
CERTITUDO *in Medicina*. vid. *Medicina*.
CLIMATA *Septentrionalia*. vid. *Septentrionalia Climata*.
COCTIO.
Veterum circa illam Observationes a nullis aliis evertuntur. 108. ad 109. 129
COLON *intestinum*, vid. *Intestina*.
COMA.

Ob-

Obſervatum ſub Pulſu Dicroto. 66. 152
COMPRESSIO *Arteriarum.*
Aortæ inferioris, videtur cauſa fuiſſe Hæmorrhagiæ Narium. 146
Axillarium.
Ad illam non eſt limitata cauſa Pulſuum Criticorum. 84. ad 85
CONNEXIO.
Inter Criticos *Solani* Pulſus, & relativas horum Criſes, Factis ſtabilita. 17. &c. 66. ad 77. 89
Inſignem pro *Criſi* evidentiam format. 89
Non debet examinari per Theoriam. 83
Limitata. 78. ad 83. 88. 152
Ex hac *Criſes* in lucem productæ, & producendæ, ad aliquot dierum diſtantiam pronuntiatæ, & pronuntiandæ. 87. ad 88
Ex hac patet Differentia *Auctoris* præſentis Opuſculi a *Solano.* *ibid.*
Cum Pulſu Dicroto connexionem non habent Hæmorrhagiæ Narium, per Vaſorum Eroſionem productæ. 80
CONVULSIO.
Quandoque cauſa Pulſus Intermittentis Inſtabilis. 82
CONSTIPATIO *Alvi.* vid. *Alvi Conſtipatio.*
COR.
Ejus Inflammatio. vid. *Inflammatio.*
Morbi ejus cauſæ Pulſus Intermittentis. 81
Ejus Polypus obſervatus. 162

Pulsus Critici non oriuntur a causa, ad illud limitata. 84
Suppuratum, & Pericardio adhærens 160
CORPORIS *Situs*.
Ad eum non est limitata causa Pulsuum Criticorum. 84
CORTEX *Peruvianus*.
Non curat efficaciter & tuto Febres Intermittentes sine interventu *Crisium*. 114. ad 117
Promiscue adducit varias *Crisium* Species 115
Salutares ejus effectus non limitati ad aliquam peculiarem Crisin. 116
Datus cum roborantibus Catharticis, in quibus casibus bene cesserit. *ibid*.
Ejus, sine adjuncta *Crisium* ope, in Febrium Intermittentium curatione, Inefficacia ad Remediorum effectus scientiam nos ducit. 118. ad 127
CRIADO Y BALBOA (*Doctor Don Francisco*.)
Testis est aliquot Prædictionum *Solani*. 21. 34
CRISES.
Historiæ earum, unice per Pulsum prædictarum, fabulosæ videri debent. VIII.
Unde erudito Orbi significatur, qua fide Opus hoc Publico offeratur, & optime apparet ex Relatione addita. IX. ad XVIII
Ob-

Observatæ citra ulla Pulsuum prægressa Indicia 12. 72. 140
Regulariter juxta *Solanum* subsequuntur Pulsus, qui illas innuunt. 12
Crisi cuidam aliquando nova alia Crisis substituitur. 13. conf. 54. ad 56
Aliquando plures accidunt simul. 13. ad 14
Hujus rei exempla 22. 44. 171. ad 172
Earum Hora probabiliter prædici potest. 14 105. 184
Crisis Indicia cum *Solanus* observaret, Remedia prohibuit. 21. 41. 42 48. 50. 175 178
Earum decursui regulari repugnare Climata Septentrionalia, diu Objectum fuit. 61
Inter Criticos *Solani* Pulsus, & relativas horum Crises Connexio Factis stabilita. 17. &c. 66. ad 77. 89
Per Pulsum Dicrotum indicatæ minus regulariter succedunt. 78. ad 79
Ex Connexione inter Pulsus & relativas eorum Crises patet *Auctoris* præsentis Opusculi a *Solano* differentia. 87
Unde in lucem productæ, & producendæ, ad aliquot dierum distantiam pronuntiatæ & pronuntiandæ. *ibid.*
Connexio inter eas & Pulsus, ipsas indicantes, insignem pro Crisi evidentiam format. 89
Ad eas avertendas comparata Moderna Praxis. *ibid.*

Earum Prænotio ingens Privilegium. 90
Earum Observatio in contemptum incidit post *Paracelsum* atque *Helmontium*, & Medicinæ per *Chemicos* invasionem. 90. 119
Ex universali harum neglectu metuendum, ne Opus præsens tamquam fraudulentum censuram subeat. 91
Moderni hactenus in earumdem neglectu nulla ratione sustentati. 94. ad 98
Vera Substantia Doctrinæ Crisium. 95. ad 96
Auctoris præsentis Opusculi Animadversiones circa earum apud *Modernos* neglectum, & considerationem apud *Antiquos*. 95. ad 130
Per eas non omnes Acutæ Febres terminantur. 96
Male fundatæ Objectiones contra easdem. 97. ad 98
Examinandæ Factis. 98. 127
Antiqui in illarum favorem Factis institerunt. 98. 103. 105. 108. 127
Exemplum hujus rei ex *Foresto*. 99. ad 101
Confirmatæ a *Modernis* Medicis 98. 105. 127
Exemplum hujus rei ex *Fred. Hoffmanno*. 99
Non ridicule tractandæ. 103
Non sunt violenti Conatus Naturæ sibi ipsi re-

relictæ, sed stabilia ejus Opera. 104. ad 107. 127
Quandoque accidunt post repetitas omnis generis Evacuationes. 20. 21. 27. 45. 47. 89. 104. 131. 136
Sæpe citra ullum notabilem in ægro tumultum. 104
Generaliter fixum Ordinem sequuntur. 105
Objectiones contra earum Usus Practicos solvuntur. 103. ad 109
Eæ in levibus Febriculis imperceptibiles; evidentiores in gravioribus; in violentissimis violentæ. 107
Purgante impeditæ, periculosæ & lethales. 111. 112
Sine earum interventu non tuto curantur Febres Intermittentes, ope Corticis Peruviani, vel aliorum Febrifugorum. 114 ad 117
Corticis Peruviani, in Intermittentium Febrium curatione, Inefficacia, sine earum interventu, nos ad Remediorum effectus scientiam deducit. 118. ad 122
Earum variæ distinctæ Species sequuntur usum Corticis Peruviani, vel aliorum Febrifugorum. 115
Earum Tempus post usum Corticis Peruviani non stabile. 116

Sanant recentes Viſcerum Obſtructiones, ab Intermittentibus Febribus natas. 116
Incertitudo vel Falſitas Criticorum Signorum, ab *Antiquis* traditorum, numquam legitime a *Modernis* probatæ ſunt. 107. ad 109. 129
Quæ Demonſtrationes requirantur. 108
Periculum valida, ſine ullo Criſium reſpectu, Remedia in Acutis Febribus præſcribendi, demonſtratum per Facta. 109 ad 117. 129
Salutares bonarum Criſium effectus illis, quos efficaciſſima noſtra Remedia producunt, ſuperiores eſſe, ideoque per hæc proprie ſuppleri non poſſe, Factis & Ratione demonſtratur. 119. ad 124. 129
Notabilis Differentia in eventu talium Acutarum Febrium, quæ Criſibus, vel comitatæ, vel deſtitutæ ſunt. 100. 101. 102
Earumdem Obſervatio cum Strenua admodum Curandi Methodo poteſt ſubſiſtere. 124. 129
Earumdem Obſervatio Medici attentionem exigit. 125
Ea felix futura Medici otium clamat. *ibid.*
Medium eſt inter Puſillanimem Otioſam & Tumultuariam Præcipitem Praxin. 126. ad 127

Ali-

Aliquando retardantur ob fluidorum vel emunctoriorum vitium. 74. 80. 141. 149
Aliquando perniciosæ ob accidentalem debilitatem. 15. 37
Hujus rei exempla. 24. 25
Quando prædicendæ felices. 14. ad 15. 105
Pro Prædictione earum Leges. vid. *Leges*.
CRITICA *Diarrhœa*. vid *Diarrhœa*.
CRITICA *Evacuatio*. vid. *Evacuatio*.
CRITICA *Hæmorrhagia*. vid. *Hæmorrhagia*.
CRITICA *signa*. vid. *Signa*.
CRITICA *symptomata*. vid. *Symptomata*.
CRITICA *Urina*. vid. *Urina*.
CRITICI *dies* vid. *Dies Critici*.
CRITICI *Pulsus*. vid. *Pulsus Critici*.
CRITICUS *Icterus*. vid. *Icterus*.
CRITICUS *Sudor*. vid. *Sudor*.
CRITICUS *Vomitus*. vid. *Vomitus*.
CRUDITAS.
Antiquorum circa eam Observationes nullis aliis evertuntur. 108. ad 109
CRUOR.
In Hæmorrhagia Narium vid. *Hæmorrhagia*.
CUENCA (*Ludovicus De*)
Ejus casus. 31
CUESTA (*Franciscus Martinus De*)
Ejus casus. 138
CUTANEA *Eruptio*. vid. *Eruptio cutanea*.

D.

D.

DEBILITAS.
Quandoque causa Pulsus Intermittentis Instabilis. 82
Ob eam *Crisis* lethalis evadere potest. 15. 24. 37
DELGADO (*Juan*).
Ejus casus. 21. 24
DELIRIUM.
Observatum sub Pulsu Dicroto. 13. 23. 66. 135. 149. 152
DIARIUM *Thermometricum*.
Paratum *Gadibus*. XXXIX. ad XLII
DIARRHOEA.
Notata per Intermittentem Pulsum. 6
Exempla hujus rei. 22. 30. &c. 44. 69. 152. 159. &c. 177. ad 181
Critica, observata absque prægresso Pulsu Intermittente. 139. ad 140
Crisis per eam, & per Urinam, Indicium non accurate distinctum est. 55
Crises per eam, & per Urinam, facile inter se invicem convertibiles. 56
Critica, aliquando sequitur usum Corticis Peruviani vel aliorum Febrifugorum. 115
Critica, perniciosa evadere potest ob accidentalem debilitatem. 37
DIAZ (*Frater Francisco*).
Ejus casus. 32

DI-

DICROTUS *Pulsus.* vid. *Pulsus Dicrotus.*
DIES.
Critici, qui. 96. 99
Probati Factis. 99. ad 102. 127
3. 4. 7. 11. 14. Dies pro Criticis Revolutionibus notabiles in Febribus Acutis. 99
Septenarii & Semiseptenarii faustis Crisibus peculiariter dedicati. 96
7. in Factis reliquis superior. 101
14. Septimo proximus, quoad felices Crisium eventus. 102
4. 9. & 11. pro infaustis Crisibus notabiles. 99. 102
Die Critico prohibentur Evacuationes a *Ballonio.* 111
Die Critico lene Purgans, in Acutis Febribus exhibitum, lethale. 111. 112
Objectiones contra eos male fundatæ. 97. ad 98
DOLORES.
Capitis, Frontis, Temporum, Nasi, Oculorum, & Aurium, sub Pulsu Dicroto observati. 13. 66. 139. 140. 141. 150. 152. 153
DURAN (*Alonsus*).
Ejus casus. 36

E.

EMES (*Michaël*).
Ejus casus. 165
EMUNCTORIA.

Eorum

Eorum Resistentia moratur Crises. 74. 80. 141. 149

ERUPTIO *cutanea.*

Observata sub Pulsu Inciduo. 181

EVACUATIONES.

Criticarum Evacuationum Copiam sollicite observaverunt *Antiqui.* 14

Eam neglexit Solanus. *ibid.*

Fœtidæ non lethales. 123

Prohibentur a *Ballonio*, Die Critico. 111

Generales: harum Inefficacia in removendis quibusdam Morbis. 120

Post omnis generis Evacuationes Crises aliquando contingunt. 20. 21. 27. 45. 47. 89. 104. 131. 136

Particulares: in quibusdam tantum Casibus, noxiis humoribus liberare corpus, vel solidorum tonum mutare, valent. 119. 120

Solitæ cujusdam Suppressio periculosa, post usum Corticis Peruviani in Febribus Intermittentibus. 116

Criticarum Evacuationum Quantitas. vid. *Quantitas.*

Hæmorrhoidales. vid. *Fluxus Hæmorrhoidalis.*

Menstruæ. vid. *Fluxus Menstruus.*

F.

FEBRIFUGA.

Non

Non, nisi Crisium interventu, curant Febres Intermittentes. 116

FEBRES *acutæ*.

Earum Revolutionibus Dies critici *Septenarii* & *Semiseptenarii* dedicati. 96

In iis Dies 3. 4. 7. 11. 14. notabiles pro Revolutionibus Criticis. 99

In iis pro infaustis Crisibus notabiles 4. 9. & 11. Dies. 99. 102

In levibus, Crises imperceptibiles; in gravioribus evidentiores; in violentissimis violentæ. 107

Non omnes per Crisin terminantur. 96

Earum eventus præcipue dependet a Methodo Curandi, primis ipsis invasionis diebus adhibita. 125. 163

Differentia eventus earumdem, cum, vel sine Crisibus. 100. ad 102

In iis juxta *Ferrenum* Pulsus Intermittens est legitima exhibendi Purgantis Indicatio. 77. ad 78

Sub Intermittente Pulsu falso dictæ lethales. 54. 92. 93. 177. 178

In iis Natura non satis æstimata. 92. 109. ad 119

In iis *Radcliffius* caute admodum utebatur Remediis turbantibus, & mitissimis etiam catharticis. 111

In iis leve Purgans Die Critico exhibitum lethale. 111. 112

Valida in iis Remedia Præſcribere periculoſum. 109. ad 117. 129
Quandoque Sequelæ ſunt Febrium Intermittentium, per Corticem curatarum, absque Criſium interventu. 116

Intermittentes.
Fallax harum cura, & ſubinde lethalis, ſine interventu Criſium. 114. ad 118
Praxis eminentium quorumdam Medicorum *Londinenſium* huic Obſervationi analoga. 116
In harum cura Inefficacia Corticis Peruviani, ſine Criſium ope, nos ad Remediorum effectus ſcientiam deducit. 118. ad 127
Tertiana duplex ſanata paucis Tart. Vitriolat., Nitr. Antim., & Sal. Abſynth. doſibus. 156
In iis, quas vel comitatur, vel præceſſit conſueta quædam Evacuatio, ea ſuppreſſa periculoſa. 116
In iis Natura non ſatis æſtimata. 114 ad 118
Harum Paroxyſmorum Sudores Pulſus Inciduus, ut plurimum, non præcedit. 12

FELLIS *Veſicula.* vid. *Veſicula Fellis.*

FERMIN (*Pedro*).
Proximus, cui ſuam Prædicendi Artem communicavit *Solanus.* 182

FERREN (*Doctor*).
Ejus Obſervatio circa Pulſum Intermittentem. 77

FLA-

FLATUS.
In inteſtinis obſervati ſub Pulſu Intermittente. 32. ad 33. 70. 159. 163. 166. 171
FLOYER (*Sir John*).
Animadverſio in ejus Librum *Pulſe-vvatch.* 1. & 2
Plurimum operis impendit explicandæ *Sinenſium* Arti, in explorandis Pulſibus. XXVIII
FLUIDA.
Eorum Vitium quandoque moratur Criſes. 74. 80. 141. 149
FLUXUS.
Hæmorrhoidalis. 119
Menſtruus. *ibid.*
Suppreſſi, per Venæ ſectionem, eadem vel majori copia inſtitutam, proprie compenſari nequeunt. *ibid.* Cur? *ibid.*
Menſtruus indicatus per Pulſum Intermittentem. 168. 169
Purulenti. vid. *Purulenti fluxus.*
Salivæ. vid. *Salivæ fluxus.*
FORESTUS.
Obſervationes ejus illas *Veterum* circa Criſes confirmant. 103. ad 105
Antiquorum Regulas de Prædictione Criſium feliciter ſecutus eſt. 105
FRIGUS.
Aëris *Gadibus.* XL. ad XLII
FRONTIS *Dolor.* &c. vid. *Dolor.*

FUENTES (*Doctor Don Raphaël de*).
Testis unius Observationis de Pulsu Inciduo. 46. ad 47

G.

GALENUS.
Ejus Error, fœtidarum excretionum respectu 123
Respectu Pulsus Intermittentis. 54
Observatio ejus circa hunc Pulsum. 186
Felix ejus Prædictio Criticæ Nasi Hæmorrhagiæ. 110
GARZIA (*Frater Cecilio*).
Ejus Casus. 41
GARZIA (*Doctor Don Francisco*).
Testis unius Observationis de Pulsu Dicroto. 153
GARZIA (*Frater Michaël*).
Testis unius Prædictionis *Solani* ex Pulsu Intermittente. 33
GODOY Y ROXAS (*Don Alphonso de*).
Ejus Casus. 41
GOMEZ (*Doctor Don Joseph*).
Observationes ejus circa Pulsum Dicrotum. 20
— — — circa Pulsum Intermittentem. 35. &c.
— — — circa Pulsum Inciduum. 40
GOMEZ (*Frater Juan*).
Ejus casus. 43

GONI

GONI Y AVENDANO (*Don Geronimo*).
Ejus casus. 30
GRANA (*Sylvestre de*)
Ejus casus. 158
GUTIERREZ DE LOS RIOS (*Emanuel*).
Compendii *Lapidis Lydii* Editor, judicio carens. XXII

H.

HÆMORRHAGIA.
Narium, per Pulsum Dicrotum indicata. 1
Exempla hujus rei. 20. &c. 44. 65. &c. 130. &c. 175. ad 177
Non sequitur semper Pulsum Dicrotum. 12. ad 13. 66. ad 67
Observata sine Pulsu Dicroto. 72
Ei non semper absolute possumus confidere ex adparitione Pulsus Dicroti. 79
Juxta *Auctorem* præsentis Opusculi Pulsus Dicrotus est potius Inclinatio ad Narium Hæmorrhagiam, quam absolutum ejus Indicium. 79
In ea si Cruor pallide ruber, & parca copia fluxerit, ægri lente reconvalescunt; lentissime vero, si cum eodem colore abundaverit. 14
Quandoque retardata ob Densitatem Sanguinis, vel Vasorum Resistentiam. 74. 80. 141. 149
Copiosa, non semper violentos Capitis adfectus

fectus præcavet in Morborum principio. 152
Per tacitam Vasorum Erosionem producta Pulsu verisimiliter numquam indicatur. 80
Critica, lethalis ob accidentalem Debilitatem. 24
Felix ejus Prædictio, a *Galeno* facta. 110
Quædam probabiliter per Aortæ compressionem orta. 146
HÆMORRHOIDALIS *fluxus*. vid. *Fluxus Hæmorrhoidalis*.
HÆMORRHOIDES.
Observatæ sub Pulsu Intermittente. 70
HEPAR.
Ejus parvi Lobi limbus lividus inventus. 161
HERCULEA *Medicina*. vid. *Medicina*.
HEREDIA Y BAZAN (*Don Antonio de*)
Testis unius *Solanianæ* Observationis de Pulsu Dicroto. 22
HIPPOCRATES.
Ex ejus *Aphor*. 8. *Sect*. 3. verisimiliter deducta fuit Objectio, Climata Septentrionalia regulari Crisium decursui repugnare. 61
Objectiones contra ejus *Aphor*. 61. *Sect*. 4. male fundatæ. 96
Ejus *Aphor*. 71. *Sect*. 4. citatur. 42
HISPANI *Medici*. vid. *Medici*.
HOFFMANNUS (*Fredericus*.)

Ejus

Ejus Observationes confirmant illas, quas *Veteres* de Crisibus confecerunt. 99

HUMIDITAS.

Observata sub Pulsu Inciduo. 181

HYPERCATHARSIS.

Observata Sequela lenis Cathartici, appropinquante, vel præsente Die Critico, exhibiti. 111. 112

HYPOCHONDRIORUM *Obstructio.*

Probabiliter causa Hæmorrhagiæ cujusdam Narium. 146

I.

ICTERUS *Criticus.*

Indicatur Pulsu Inciduo cum Arteriæ Duritie. 9. ad 10

Ex hoc Pulsu prædictus a *Solano.* 49

Rationes, quæ inducebant ipsum ad hanc Prognosin. 185

IGNACIO (*Francisco*).

Ejus Casus. 40

INANITIO.

Quandoque causa Pulsus Intermittentis Instabilis. 82

INCIDUUS *Pulsus.* vid. *Pulsus Inciduus.*

INDIGESTIO.

Quandoque observata sub Pulsu Intermittente. 70

INFLAMMATIO.

Progressui ejus in Acutarum Febrium principio alacriter occurrendum. 163

Quandoque Sequela Febrium Intermittentium, ope Corticis Peruviani suppressarum. 116
Cordis, Pericardii, Pleuræ, Mediastini, atque Intestinorum. 160. 161
Cordis, quandoque causa Pulsus Intermittentis Instabilis. 82
INTERMITTENS *Pulsus*. vid. *Pulsus intermittens*.
INTERMITTENTES *Febres*. vid. *Febres intermittentes*.
INTESTINA.
Eorum tumultus sub Pulsu Intermittente observatus. 32. ad 33. 171
Fluida intra Rectum & Colon contenta, quandoque absorbentur per Vesicam. 55
Eorum Inflammatio. vid. *Inflammatio*.

K.

KNIGHT (*Mr. William*).
Ejus casus. 148

L.

LAPIS *Lydius Apollinis*.
Opus *Solanianum* ita dictum. IX
Traditur *Auctori* præsentis Opusculi. *ibid.*
Tædiosum Volumen *in folio*, exigui emolumenti. XXI
Ejus *Compendium*, editum ab *Emanuele Gutierrez de Los Rios*. XXII
LAXI-

LAXITAS *Alvi*. vid. *Alvi Laxitas*.
LEGES.
Pro Prædictione *Crisium* ex Pulsu quasdam construxit SOLANUS. XVIII. 1. &c. 6. &c. 9. &c. 12. &c.
Sed libere nimis, & universaliter. XIX.6 15. 78. ad 83. 86. ad 87. 152
Earum Origo. 173. ad 183
Pro Prædictione Diarrhoeæ Criticæ 6. &c.
Earum Origo. 177. ad 181
Pro Prædictione Hæmorrhagiæ Criticæ Narium. 1. &c.
Earum Origo. 174. ad 177
Pro Prædictione Icteri Critici. 9
— Sudoris Critici. 9. &c.
Earum Origo. 185
Pro Prædictione Vomitus Critici. 7
— Urinæ Criticæ. 8
Corriguntur & limitantur Observationibus *Auctoris* præsentis Opusculi. 78. ad 82. 88. 152
Pro Prædictione *Crisium* statutas ab *Antiquis* admittit *Boerhaavius*. 107
Has ex Factis constituerunt *Antiqui*. 107
Incertitudo vel Falsitas earumdem numquam legitime a *Modernis* probatæ sunt. 107. ad 109
LETHARGUS.
Observatus sub Pulsu Dicroto. 66
LIEN.
Tumidus inventus. 161

LOQUELA *Difficilis.*
Observata sub Pulsu Dicroto. 144
LUQUE (*Antonio de*).
Ejus casus. 27

M.

MANOJAS (*Josephus*).
Ejus casus. 156
MARIN DE APARICIO (*Don Pedro Joseph*).
Ejus Observatio de Pulsu Inciduo. 45
MEDIASTINUM.
Suppuratum. 161
MEDICI.
Eorum, *Anglorum* præsertim, auxilium provocatur ab *Auctore* præsentis Opusculi, ut Observationes perfectiores communicent. XXIV. XXIX. 61. 188
Catalogus eorum, qui *Solani* Observationes propria Experientia confirmarunt, & illustrarunt. XXXI. XXXII
Quando ipsis Agendum sit in Morbis. 125. ad 126
Eorum Attentionem exigunt Crisium Observationes. 125
Eorum Otium clamat Felix futura Crisis *ib.*
Albertini Animadversio eludit eos, quorum in Observando diligentia una cum Febre cessat. 115. 118
Varii confirmarunt *Albertini* Observationes. 114
ANGLI.

Felix eorum Methodus dandi Corticem Peruvianum cum roborantibus Catharticis. 116

HISPANI.

De ignava eorum Insensilitate conqueritur *Petrus Roxo.* X

Post *Solani* obitum ejus Observationum perquisitionem dereliquerunt. XXII. ad XXIII

Stimulus eorum, ad *Solanum* incitandum, levis fuit. 18

MEDICINA.

Medicinæ Candidati in *Hispania*, antequam in Praxin admittantur, Medici alicujus Praxin biennio frequentare debent. 174

Certitudo in ea exigua. 88

— — magni pretii est, etiam minima. 89

— — major, quomodo acquirenda. *ibid.*

Ejus a *Chemicis* Invasio, tempus est, quo incepit præsens generalis neglectus Crisium. 90. 119

Speciale lucrum ei accedit ex Observationibus circa Pulsum Intermittentem. 93

Herculea, quæ. 109. ad 110

— — considerata. 109. ad 127

— — cum Crisium Observatione subsistere potest. 125. 128. ad 129

MENSTRUA. vid. *Fluxus menstruus.*

MERCADO (*Manuel*).
Ejus casus. 24
MESENTERICÆ (*Arteriæ*).
Exigua in illis resistentiæ Inæqualitas Crisin, *per Diarrhœam*, in illam, *per Urinam*, mutare potest. 56
MODERNI.
Neglectus horum circa Antiquam Observationem Crisium, nondum hactenus legitime justificatus. 94. ad 98
Ex hoc metuendum, ne Opus præsens tamquam fraudulentum Censuram subeat. 91
Incertitudo vel Falsitas Criticorum Signorum, ab *Antiquis* traditorum, numquam legitime ab iis probatæ sunt. 107. ad 109. 129
Auctoris præsentis Opusculi Animadversiones, circa Crisium neglectum apud eos 95. ad 130
Eorum Aliqui Facta, a *Veteribus* pro Crisium Prædictione adlegata, confirmarunt. 98. 105. 127
Ea adoptavit *Boerhaavius*. 107
Eorum Prognoses fatales circa Pulsum Intermittentem. 93. 94
MOLLITIES.
Pulsus Intermittentis, Signum Crisis per Urinam. 8. 54
MORBI *Cordis*. vid. *Cordis Morbi*.

MORBI *Pulmonum.* vid. *Pulmonum Morbi.*
MURMUR.
Sub Pulsu Intermittente observatum. 171

N.

NASUS.
Varii hujus adfectus sub Pulsu Dicroto observati. 12. ad 13. 66. 77. 132. 139. 140. 150
Ejus Fluxus Purulentus. vid. *Purulentus Fluxus.*
Ejus Hæmorrhagia. vid. *Hæmorrhagia.*
Ejus Plenitudo. vid. *Plenitudo.*
Ejus Pruritus. vid. *Pruritus.*
NATURA.
Morborum Curatrix. 120. ad 128
Medici Dux. 90
Non satis æstimata. 93. 109. ad 119
Regularis ejus progressus in Crisibus. 105. 106
Periculum turbandi Operationes ejus Factis demonstratum. 109. ad 118. 128
Quando sola sibi sufficit, Medici Otium clamat. 125
NERVI.
Causæ Pulsuum Criticorum. 85
NUBECULA.
Rubra in Urina, quid significet. 42

O.

OBJECTIONES.

Exi-

Exigui momenti, quibus contra Crises insistitur. 97. 98
Quædam majoris momenti. 103. ad 104. 107
— — considerata. 103. ad 109
OBSERVATIO *Crisium*. vid. *Crises*.
OBSERVATIONES *Albertini*. vid. *Albertinus*.
Alpini. vid. *Alpinus*.
Baglivii. vid. *Baglivius*.
Ferren. vid. *Ferren*.
Foresti. vid. *Forestus*.
Galeni. vid. *Galenus*.
Hoffmanni. vid. *Hoffmannus*.
Wieri. vid. *Wierus*.
Dr. *Solani* vid. *Solanus*.
Dr. *Alvarez*. vid. *Alvarez*.
Dr. *Castan*. vid. *Castan*.
Dr. *Gomez*. vid. *Gomez*.
Dn. *Petri Marin*. vid. *Marin*.
Dn. *Joannis de Pedraza*. vid. *Pedraza*.
Dr. *Porras*. vid. *Porras*.
Dr. *Roxo*. vid. *Roxo*.
Dr. *de Sayas*. vid. *Sayas*.
Dn. *Christophori Solani*. vid. *Solanus (Christophorus)*.
Auctoris præsentis Opusculi. vid. *Auctor* &c.
Nullæ existunt, quæ *Veterum* Observationes circa Cruditatem, Coctionem, Crisiumque Prædictionem, evertunt. 109

OBSTRUCTIO *Hypochondriorum.* vid. *Hypochondriorum Obstructiones.*
Viscerum. vid. *Viscera.*
OCULI.
Adfecti sub Pulsu Dicroto. 66. 140. 150
ORDO.
In Crisibus Observatus. 105
ORTEGA (*Juan de*).
Ejus casus. 131

P.

PABLUS (*Josephus*).
Præceptor Doctoris *Solani.* 174
Pulsum Dicrotum neglexit. *ibid.*
Violentissimo Temperamento præditus. 179
PARALYSIS.
Aliquando Sequela est Febrium Intermittentium, per Corticem curatarum, sine Crisium interventu. 117
PARILLA Y VILLALON (*Doctor Don Rodrigo.*)
Testis unius Prædictionis *Solanianæ* ex Pulsu Intermittente. 30. ad 31
PAROTIDES.
Tumor earum Sequela quandoque est Febrium Intermittentium, per Corticem curatarum, sine Crisium interventu. 117
Abscessus Parotidis Critici Exemplum. 36
PARDO (*Don Juan*).

Ejus casus. 21

PATIENTIA.

Requisita in Observatione Pulsuum Criticorum, & Sequelarum eorumdem. 88

PAZ (*Frater Alexandro de*).

Ejus casus. 42

PEDRAZA Y CASTILLA (*Don Juan de*).

Testis Hæmorrhagiæ Criticæ per Nasum. 135

Ejus Observationes. 155. 157. 166. 167. 169. 171

Sæpe expertus est Observationum *Solanianarum* Veritatem. 79

Quandoque nimia earumdem confidentia deceptus fuit. 79. ad 80. 171

PERICARDIUM.

Suppuratum. 160. 161

PERNIA (*Joannes*).

Ejus casus. 156

PERSPIRATIO AUCTA.

Critica, quandoque sequitur usum Corticis vel aliorum Febrifugorum. 115

PLENITUDO *Nasi*.

Observata quandoque sub Pulsu Dicroto. 66. 77

PLEURA.

Crassa, spongiosa, ac suppurata, post Pleuritidem. 160

POLYPUS *Cordis*. vid. *Cor*.

PONTES (*Antonio de*).

Testis

Testis unius Prædictionis *Solaniana* ex Pulsu Inciduo. 41

PORRAS (*Doctor Don Miguel de*).

Ejus Observationes. 26. 34

PORRAS (*Don Rodrigo de*).

Ejus casus. 26

PRACTICANTE, vel *Passante*.

Quinam dicantur in *Hispania*. 174

PRÆDICTIO *Crisium*. vid. *Crises*.

PRÆNOTIO *Crisium*. vid. *Crises*.

PRAXIS.

Moderna, generaliter directa ad præcavendas Crises. 89

Herculea, quæ. 109. ad 110

— — considerata. 109. ad 127

PRIMÆ VIÆ.

Varii earum adfectus sub Pulsu Intermittente. 13. 32. ad 33. 70. 77. 159. 163. 164. 165. 166. 171

PROGNOSIS.

Antiquorum. vid. *Antiqui*.

Ex Pulsibus. vid. *Pulsus*.

PROGNOSTICA SIGNA. vid. *Signa Prognostica*.

PRURITUS *Nasi*.

Commune symptoma sub Pulsu Dicroto. 66. 77. 132. 139. 150

PULMONES.

Adhærentes pleuræ inventi post Pleuritidem. 160

Eorum

Eorum Morbi quandoque causæ Pulsus Intermittentis. 81
Pulmonis dextri Lobus Suppuratus inventus. 161
PULSUS.
In iis explorandis *Sinensium* Ars ineptis nugis referta. XXVII
Critici, juxta Doctorem *Solanum*.
Non constanter *Crises* præcedunt. 12. 72. 140
Dum apparent, *Crises*, quas innuunt, regulariter subsequuntur. 12
Aliquando alius alii substituitur. 13
Quandoque duo, tresve, adsunt, totidemque, per illos significatæ, *Crises* accidunt. 13
Hujus rei Exempla. 22. 44. 171. ad 172
Inter hos & relativas horum *Crises* Connexio Factis stabilita 17. &c. 66 ad 77. 89
Signa potius & Effectus sunt Inclinationis ad relativas Crises, quam absoluta harum & certa Indicia. 78. 152
Non oriuntur a causa quadam, ad Cor, vel generale vasorum sanguiferorum Systema, limitata, sed a Nervis. 84. 85. 151
Per Experientiam determinari debent, licet Causa Mechanica maneat Mysterium. 83. ad 84
Aliquando Transferuntur ex dextro in sinistrum Carpum, & vicissim. 86. 151

Ex Connexione inter hos & relativas eorumdem *Crises* patet *Auctoris* præsentis Opusculi a *Solano* Differentia. 87
Connexio inter hos & relativas horum Crises insignem pro *Crisi* evidentiam format. 89
Eorum Progressus ac Periodi hactenus observati. 2
Familiares, non Critici. 83
Prædictio ex iis cum Cautela & Patientia tractanda. 88
Dicrotus Pulsus.
Signum est Criticæ Hæmorrhagiæ Narium. 1. &c.
Variæ ejus Conditiones notant Tempus & Quantitatem Hæmorrhagiæ. 2. &c.
Hujus rei Exempla, 21. 25. 131. ad 133. 137. 146. 147. 153
Ex ejus adparitione non semper absolute possumus confidere Hæmorrhagiæ, multo minus Tempori, quo continget. 79
Exempla Hæmorrhagiarum, Significatarum & Prædictarum per hunc Pulsum. 20. &c. 44. 65. &c. 130. &c. 175. ad 177
Connexio inter eum & relativas ejus Crises stabilita per Facta. 17. & seqq. 77
Non habet Nexum cum Hæmorrhagiis per Vasorum Erosionem productis. 88

Auctoris præsentis Opusculi Animadversiones circa eundem. 65. ad 69
Deerat in duobus, qui Hæmorrhagiam Narium passi sunt. 72
Ejus a majoribus ad minores Periodos Transitus *Auctori* præsentis Opusculi non occurrerunt. 76
Juxta *Auctorem* præsentis Opusculi potius Inclinationis ad Hæmorrhagiam Narium Signum & Effectus, quam certum istius Hæmorrhagiæ Indicium. 79
Familiaris, non Criticus. 83
Quandoque Transfertur ex dextro in sinistrum Carpum, & vicissim. 86. 151
Variis Capitis adfectibus stipatus. 13. 23. 66. 77. 132. 135. 139. 140. 141. 143. 149. 150. 152. 153
Observatus sine Narium Hæmorrhagia, vel ullis Capitis adfectibus. 65
Neglectus fere jacuit. 81
Neglectus a *Pablo*, Præceptore *Solani*. 174
Fugatus Adstringentibus. 137
Purgante prohibitus. 141
Martelinus vocatur ab *Avicenna*. 175

Inciduus Pulsus.
Primum observatus a *Solano*. 10
Descriptus. 9
Nomen ejus unde derivatum. 10

Jun-

Junctus cum Arteriæ Mollitie, notat Sudorem Criticum. 11
Variæ ejus Conditiones variam Sudoris Critici Quantitatem, & Tempus denotant. 2. &c. 11
Hujus rei Exempla. 40. &c.
Exempla Sudorum Criticorum inde Prædictorum. *ibid.*
Ut plurimum non præcedit Sudores in Febrium Intermittentium Paroxysmis. 12
Aliquando simplici tantum Humiditate, aut Eruptionibus Cutaneis stipatur. 181
Junctus cum Arteriæ Duritie, notabat Icterum Criticum. 10. & Quare, 185
Hujus rei Exemplum. 49
Variæ ejus Conditiones Icteri Tempus denotant. 2. &c. 50
Ab *Auctore* præsentis Opusculi non observatus hactenus. 76

Intermittens Pulsus.

Signum Diarrhœæ Criticæ. 6
Variæ ejus Conditiones variam Diarrhœæ Quantitatem & Tempus denotant. 2. &c.
Hujus rei Exempla. 32. 35. 36. 39. 44
Diarrhœarum Criticarum inde indicatarum & prædictarum Exempla. 22. 30. &c. 44. 69. 152. 159. &c. 177. ad 181

Familiaris Intermittens Pulſus, non Criticus. 80

Inſtabiles quædam Pulſus Intermiſſiones, non Criticæ. 82

Obſervatus ſine ſubſequente Diarrhœa, aut ullis Primarum Viarum adfectibus. 70

Absque eo obſervata Diarrhœa Critica. 139. ad 140

Ejus Cauſæ, cum à Cordis, Sanguiferorum eidem adjacentium Vaſorum, Pulmonumque Morbis producuntur, Exceptiones *Solaniana* Regulæ ſuppeditant. 81. conf. 162

Ejus Cauſæ, cum Spasmi, Convulſiones, Inflammatio Cordis, Debilitas, Repletio aut Inanitio, fuerint, Exceptiones *Solaniana* Regulæ ſuppeditant. 82. conf. 162

Quandoque tantum notat Primarum Viarum adfectus, Tormina, Borborygmos, Flatuum eruptiones, & ſimilia. 13. 70. 171

Sub eo obſervati Primarum Viarum Adfectus varii. 77. 159. 163. &c.

Ejus varias Cauſas ſuppoſuerunt, ſed nullas demonſtrarunt *Theoretici*. 82

Cum Arteriæ Tenſione, Vomitum Criticum Diarrhœæ ſuperaddendum indicat. 7

Variæ ejus Conditiones variam per Vomitum

tum Quantitatem, hujusque Tempus denotant. 2. &c.
Cum Mollitie, Crisin per Urinam conjungendam notat. 8. 54
Variæ ejus Conditiones variam Urinæ Quantitatem, & Tempus excretionis denotant. 2. &c. 7. 8
Juxta Domini *Ferreni* Observationes Signum est Saburræ Primarum Viarum, & regularis in Acutis Febribus Purgandi Indicatio. 77. 78
Non raro symptoma est Vermium in Primis Viis. 35. 44. 78. 162. 166
Auctoris præsentis Opusculi Animadversiones circa eundem. 80. ad 84
Ejus a majoribus ad minores Periodos transitus *Auctori* præsentis Opusculi non occurrerunt. 76
Falso in Acutis Febribus dictus lethalis. 54. 92. 93. 177. 178
Cum Robur, ad perficiendam *Crisin*, deficit, portendit mortem. 6. 94. 187
Non Criticus, aliquando mali ominis. 94
Peculiare emolumentum, quod ex Observationibus, circa hunc Pulsum factis, nascitur. 93. 94
Notat quandoque Hæmorrhoides. 70
Aliquando significat futuram Mensium proruptionem. 168. 169

Quandoque Transfertur ex dextro in sinistrum Carpum, & vicissim. 85. ad 86

Fugatus Adstringentibus. 39

Error *Prosperi Alpini* respectu hujus Pulsus. 54

Error *Galeni* respectu ejusdem. *ibid.*

Martelinus Pulsus.

Ab *Avicenna* sic dictus, est Pulsus Dicrotus *Solani.* 175

Immerito Malus ab *Avicenna* enuntiatur. *ibid.*

PULSATIO.

Temporalium Arteriarum, observata sub Pulsu Dicroto. 66

PURGANTIA.

Purgantis Indicatio in Acutis Febribus juxta *Ferrenum* est Pulsus Intermittens. 77. ad 78

In eorum usu in Acutis Febribus cautus fuit *Radcliffius.* 111

Die Critico præsente, vel adpropinquante, exhibitum, causa Hypercatharseos lethalis. 112. 113

Roborantia, cum Cortice Peruviano data, in quibus Casibus bene cesserint. 116

Hæmorrhagiam per Nasum prohibet. 141

Per ea Evacuatio. vid. *Evacuatio.*

PURULENTI & *Ichorosi Fluxus.*

Aurium, sub Pulsu Dicroto observati. 66

Narium

Narium Fluxus Purulentus, sub eodem Pulsu observatus. 13

PUS.

In Pericardio, & Thorace extrinsecus Tactu perceptum. 160

In Pericardio repertum. 161

Q.

QUALITATES.

Vitiosæ, quandoque observatæ in Evacuationibus Criticis. 123

QUANTITAS.

Evacuationum Criticarum, indicata per Pulsum. 3. &c.

R.

RADCLIFFE (*Doctor*).

Religiosus & felix Crisium Observator. 112

In Acutis Febribus admodum cautus fuit in omnium Turbantium Remediorum, mitissimorumque etiam Catharticorum usu. *ibid.*

Judicium ejus de Casu quodam, ubi æger moriebatur, eodem die, quo leve Purgans sumpserat. 113

RECTUM *Intestinum.* vid. *Intestina.*

REMEDIA.

Prohibita a *Solano*, cum Crisis indicia observabat. 21. 41. 42. 48. 50. 175. 178
Tempestive exhibenda, habito respectu Crisium. 110. &c. 124
Periculum, valida, sine ullo Crisium respectu. Remedia in Acutis Febribus præscribendi, demonstratum per Facta. 109. ad 117. 129
Ad eorum Effectus scientiam nos ducit Corticis Peruviani Inefficacia in Febrium Intermittentium curatione, sine adjuncta Crisi. 118. ad 127
Eorum Efficacia, minor, quam bonarum Crisium. 123
Sub manifestis imminentis felicis Crisis indiciis, inutilia, aut periculosa. 124

RENALES (*Arteriæ*).
Exigua in illis resistentiæ Inæqualitas Crisin, *per Urinam*, in illam, *per Diarrhœam*, mutare potest. 55. 56

REPLETIO.
Causa Pulsus Intermittentis Instabilis. 82

REXANO (*Doctor Don Nicolas*).
Hunc concernit Observatio quædam de Pulsu Inciduo. 45

ROMERO. (*Christoval*).
Ejus Casus. 151

ROMERO (*Juan*).
Ejus casus. 20

Casus

Casus Matris ejusdem. 88

ROXO (*Doctor Don Pedro*).
Opus *Solani Auctori* præsentis Opusculi tradidit. IX
De *Solaniani* Inventi Veritate instructus. X
De ignava Conterraneorum suorum insensilitate conqueritur. *ibid.*
Obitus ejus, *Auctoris* præsentis Opusculi, juxta *Solani* methodum, Observationum progressus inhibuit. XX. ad XXI
Auctori præsentis Opusculi integram Observationes faciendi libertatem concessit. *ibid.*
Ejus Observatio de Pulsu Dicroto. 153
Pleuritidis historia ab ipso *Auctori* præsentis Opusculi data. 159

S.

SAAVEDRA (*Dona Maria Josepha de*).
Ejus casus. 84

SABURRA *Primarum Viarum*.
Sub Pulsu Intermittente observata. 77

SALIVÆ *Fluxus*.
Criticus, aliquando sequitur usum Corticis Peruviani, vel aliorum Febrifugorum. 115

SANGUIFERA *Vasa*, vid. *Vasa sanguifera*.

SANGUINIS *Missio*. vid. *Evacuatio*.
SAYAS (*Doctor Don Thomas de*).
Observationes ejus & Testimonium de *Solanianis* Crisium Prædictionibus. 30. &c.
Prædictionis *Solani* ex Pulsu Inciduo testis. 42
SEPTENTRIONALIA *Climata*.
Crisium decursui regulari repugnare, diu objectum fuit. 61
SEVILLA (*Alonzo de*).
Ejus casus. 45
SIERRA Y SALVATIERRA (*Don Bartholome de*).
Ejus casus. 49
Plus semel certitudinis *Solanianarum* Prognosium testis. 50
SIGNA *Critica*.
Incertitudo vel Falsitas Criticorum Signorum, a *Veteribus* traditorum, numquam legitime a *Modernis* probatæ sunt. 107. ad 109. 129
SIGNA *Prognostica*.
Diarrhœæ Criticæ Signum est Pulsus Intermittens. 6. &c.
Hæmorrhagiæ Criticæ Narium Signum est Pulsus Dicrotus. 1 &c.
Icteri Critici Signum est Pulsus Inciduus cum Arteriæ Duritie. 10

Sudoris

Sudoris Critici Signum est Pulsus Inciduus cum Arteriæ Mollitie. 11
Vomitus Critici Si num est Tensio Arteriæ, Pulsui Intermittenti conjuncta. 7
Urinæ Criticæ Signum est Mollities Arteriæ Intermissioni conjuncta. 8. 54
Pulsuum Prædictorum non constanter Crises præcedunt. 12
Mutantur aliquando in alia. 13
Aliquando aliud Priori supervenit, & simul continuantur. 13. 22. 43. ad 44. 172
SINENSES.
Eorum Ars in explorandis Pulsibus ineptis nugis referta. XXVII
In qua explicanda plurimum laboris impendit Auctor Modernus, *Sir John Floyer*. XXVIII. 1. & 2
SINGULTUS.
Observatus sub Pulsu Intermittente. 13
SITUS *corporis*; vid. *Corporis situs*.
SOLANO DE LUQUE (*Doctor Don Francisco.*)
Opus ejus a *Petro Roxo* præsentis Opusculi *Auctori* traditur. IX
Ejus Observationes diligentissime leguntur, & omni candore instructæ inveniuntur ab *Auctore* præsentis Opusculi. X. ad XII

Hu-

Humanissime *Auctorem* præsentis Opusculi, qui *Antequeram* petierat, recipit, & Veritatem Observationum suarum ipsi probat. XIII. XIV. 130. &c.
Ejus Observationes Aliqui ne quidem animadvertebant, donec mera Experientiæ vi convincerentur. XV
Ejus *Lapis Lydius* est exigui emolumenti. XXI
Ejus *Lapidis Lydii Compendium* editum est ab *Emanuele Gutierrez de Los Rios*. XXII
Auctoris præsentis Opusculi persuasione correctam Observationum suarum editionem præparabat, quæ, obitu ipsius, periit. XXII. &c.
Ob ejus obitum *Auctor* præsentis Opusculi Observationum editionem non distulit. XXIII
Primus Pulsuum Criticorum, in hoc Opere memoratorum, Observator. 58
Prima Observationum ejus Origo. 173. ad 183
Ejus Observationes post Circuitus Sanguinei Inventum maxime insolitæ. 163
Josephi Pabli Praxin frequentavit. 174
Illora Praxin exercuit. 181
Postea in *Rute*, *Iznajara*, & *Granata*. 182

In-

Instruxit primo *F. de Castro Palomino*, de suis, in prædicendis Crisibus, Legibus. *ibid.*
Et dein *Petrum Fermin.* 182
Levissimo stimulo ab insensilibus Conterraneis incitabatur. 18
Exemplum Candoris ejus. 131
Observationes ejus valde numerosæ. 17
A variis primi ordinis Viris confirmatæ, & juramento corroboratæ. XIII. 19. 22. 25. 48
Ut & a Medicis. XIV. 19. 23. 27. 29. 34. 39. ad 40
Observationes ejus circa Pulsum Dicrotum. 21. 24. 25. 175. ad 177
Circa Pulsum Intermittentem. 30. &c. 177. ad 181
Circa Pulsum Inciduum. 40. &c.
Icterus Criticus ab ipso prædictus. 49. & quare 185
Ejus Observatio de Cruore in Hæmorrhagia Narium. 14
Crises observavit citra ulla Pulsuum prægressa Indicia. 12. 140
Unde noluit, quod illa constanter omnes Crises præcedant. 12
Sed statuit, quod, dum illa apparent, Crises, quas innuunt, regulariter subsequantur. 12

Ex

Ex *Veteribus* derivavit ea, ex quibus Crisium Hora prædici potest. 14. 183

Neglexit Evacuationis Criticæ Copiam. 14

Cum Crisis indicia observabat, remedia, quæ Naturæ molimina impedire possent, prohibuit. 21. 41. 42. 48. 50. 175. 178

Connexio, inter Criticos ejus Pulsus & relativas horum Crises, Factis stabilita. 17. &c. 66. ad 77. 89

Differentiæ inter ejus & *Auctoris* præsentis Opusculi Observationes, circa Pulsum Dicrotum. 17. &c. 71. ad 75

Unde pateant. 87

Confessus est, Crises, per Pulsum Dicrotum indicatas, subinde minus regulariter accidisse. 80

Ejus Observationibus cedunt Observationes *Auctoris* præsentis Opusculi. 71. ad 75. 86

Ejus Factis fidem adjiciunt Observationes *Auctoris* præsentis Opusculi. 86

Ejus Observationes omnes æqualis, cum iis, quas edidit, exactitudinis fuisse, vix existimat *Auctor* præsentis Opusculi. *ibid.*

Per-

Persuasus erat, se, Observationum suarum adminiculo, fixam, Crises Prædicendi, Methodum attigisse. 87

Ejus Observationes repetendæ sunt cum Cautela & Prudentia. 88

Leges quasdam pro Prædictione Crisium ex Pulsu construxit. XVIII. 1. &c. 6. &c. 9. &c. 12. &c.

Sed libere nimis, & universaliter. XIX. 6. 15. 78. &c. 86. 87. 152

Hinc limitantur, & corriguntur, Observationibus *Auctoris* præsentis Opusculi. 78. &c. 86. 152

Qui error excusatur, quod Eruditio ejus in Medicina, & Philosophia Naturali nimis infirma fuerit. XIX. 81

SOLANO DE LUQUE (*Don Christoval*).

Testis Hæmorrhagiæ Criticæ per Nasum. 135

Observatio ejus de Pulsu Intermittente. 169

Ejus casus. 157

SPASMI.

Quandoque Causæ Pulsus Intermittentis Instabilis. 82

STERNUTATIO.

Fre-

Frequenter obſervata ſub Pulſu Dicroto. 66. 77. 132. 150

STUPIDITAS.

Obſervata ſub Pulſu Dicroto. 66. 152

Subſequens curæ Febrium Intermittentium per Corticem Peruvianum, ſine Criſium interventu. 117

SUDOR.

Critici, Signum eſt Pulſus Inciduus cum Arteriæ Mollitie. 11

Hujus rei Exempla. 40. &c.

Criticus quandoque ſequitur uſum Corticis Peruviani, vel aliorum Febrifugorum. 115

Febrium Intermittentium. vid. *Febres Intermittentes*.

SURDITAS.

Obſervata ſub Pulſu Dicroto. 66

SUSURRUS *Aurium*.

Sæpe obſervatus ſub eodem Pulſu. *ibid*.

SYMPTOMATA.

Secundum curandi Methodum Herculeam, an Accidentalia, an Critica fuerint, non examinatur. 110

TEM-

T.

TEMPORALES *Arteriæ*, vid. *Arteriæ Temporales.*
TEMPORUM *Dolor.* vid. *Dolor Temporum.*
TENESMUS.
Sub Pulſu Intermittente obſervatus. 166
TENSIO.
Pulſus Intermittentis Signum Vomitus Critici cum Diarrhœa. 7
THEORETICI.
Varias Intermittentis Pulſus Cauſas ſuppoſuerunt, ſed nullas demonſtrarunt. 82
THERMOMETRICUM *Diarium.* vid. *Diarium Thermometricum.*
THORAX.
In eo Pus, extrinſecus Tactu perceptum. 159. ad 160
Ejus Latus dextrum ſuppuratum. 161
TOLEDO (*Juan de*).
Ejus caſus. 155
TORMINA.
Frequens ſymptoma ſub Pulſu Intermittente. 13. 70. 150
TUMULTUS *Inteſtinorum*, vid. *Inteſtina.*
TYRRY (*Mr. William.*)
Ejus caſus. 146

V.

VALENZUELA (*Dona Francisca de*).
Ejus casus. 37
VASA *Sanguifera*.
Eorum (Cordi adjacentium) Morbi, causæ Pulsus Intermittentis. 81
Pulsus Critici non oriuntur a causa ad illa limitata. 84
VERMES.
In Primis Viis, sæpe comitatur Pulsus Intermittens. 35. 44. 78. 162. 166
VERTIGO.
Sub Pulsu Dicroto observata. 66. 143
VESICA.
Quandoque absorbet fluida, intra Colon & Rectum contenta. 55
VESICULA *Fellis*.
Pene Inanis inventa. 161
VISCERA.
Eorum Obstructiones recentes, a Febribus Intermittentibus natæ, sanantur Crisi. 116
VOMITUS.
Signum Crisis per Vomitum. 7
Numquam simplex absque Diarrhœa. *ibid.*
Observatus sub Pulsu Intermittente. 13
Crisis per Vomitum numquam *Auctori* præsentis Opusculi occurrit. 76

VORREGO (*Don Pedro*).
Testis unius Prædictionis *Solani* ex Pulsu Intermittente. 34
URINA.
Signum Crisis per Urinam. 8. 54
Crises per Urinam. 54
Crisis per eam numquam Simplex, sine Diarrhœa, juxta *Solanum*. 8. 54
Crisis per Urinam, & per Diarrhœam, indicium non accurate distinctum. 55
Crises per Urinam, & per Diarrhœam, facile inter se invicem convertibiles. 56
Crisis per Urinam numquam *Auctori* præsentis Opusculi occurrit. 76
Critica, quandoque sequitur usum Corticis Peruviani vel aliorum Febrifugorum. 115
Urinæ Nubecula. vid. *Nubecula*.

W.

WIERUS.
Ejus Observatio de Pulsu Intermittente.
— Manifestum in *Solani* favorem testimonium evadit. XVII

Z.

ZAPATA (*Doctor Don Diego*).

Hunc concernit Casus Icteri Critici, a *Solano* prædicti. 49

ZAYAS (*Joannes de*).

Ejus casus. 134

ZUNOL (*Doctor Don Joseph*).

Hunc concernit Casus Icteri Critici, a *Solano* prædicti. 49

EMENDANDA.

In plaga P a medio usque ad finem paginæ ita mutentur, ut loco 160 – 168, substituatur 170 – 178.




DIS-

DISSERTATIO
DE
NATURA HUMANA:

AUCTORE

WILHELMO NOORTWYK
Med. Doct.



PRÆFATIO.

Veterum, & Recentiorum, *Scripta, ipsumque etiam prægressum Opusculum* *, *pervolventi adeo Familia-*

* Confer. pag. ejusdem 106. & subjunctam ibi Notulam.


miliare, Illuſtre adeo, Naturæ *nomen occurret, ut miretur merito, vix ullum tanti Nominis Significationem explicaſſe, de ipſa autem Re, ex profeſſo, tractaſſe plane neminem. Ratio haud dubie ea eſt:* Multi admirantur, cognoſcunt Pauci: *quod* HIPP. *(pag. 347.) Effatum, ſi ullibi, hic certe, ni fallor, præprimis obtinet. Itaque haud inutile fore, ſperaverim, data jam Opportunitate, ſingularem de* Natura *illa Tractatulum ſubnectere. Diſſertatio eſt, quam olim pro Doctoratus Gradu publice defendendam ſuſcepi: quæ, relecta jam, non ita diſplicuit, quin*

tole-

tolerari utcunque posse videretur, eo usque saltem, donec altiora Ingenia Negotium hoc subtilius perfectiusque enucleaverint. Aliqua hinc inde mutavi, & addidi, quæ alius, quem penes me servo, (de Vita) *Tractatus, ubi in* Naturam *accuratius nonnihil inquirere coactus sum, ad majorem elucidationem suppeditare potuit. Sed pauca hæc,* §. 1, 3, 4, 14, 15, 32, & 112, *potissimum concluduntur. Reliquis nullam fere mutationem attuli. Si tempore & labore Ingenii Proles appenderentur, aliquod etiam meus*

 hicce

hicce Embryo pondus habere posset; sed iniqua nimis Statera hæc. Qualecumque sit, veniam utique merebitur TYROCINIUM: eo magis, quod, nullo duce, incalcatum aliis, iter solus ingredi, coactus fuerim.



DE



DE NATURA IN UNIVERSUM.

§. I.

Fecit Deus creatorem omnium primitias; singulas autem fecit, ut voluit; voluit ergo, ut essent id, quod deinde factæ sunt; Voluntatem hanc explevit *Imperium*; sic legitur (*Psalmo* CXLVIII.); *Ipse dixit, & facta sunt, Ipse mandavit, & creata sunt.* Proxima igitur Creationis causa *Jussum Dei* fuit, Jussitque hic, ut Essent singu-

la id, quod sunt: attamen, ea non modo Talia Esse, volebat Auctor, sed & Agere, quidquid ipsi placebat, ut Agerent, Ordine æterno ac inviolabili; unde pulcherrime statim subjungit PSALMISTA; *Statuit ea in æternum & in sæculum sæculi,* Præceptum *posuit, & non præteribit.* Hanc LEGEM, vel PRÆCEPTUM hoc, *Creaturis quibusque Datum, Insitum, & Permanens,* NATURÆ nomine intelligo.

§. II.

Itaque haud alia melior sese obtulit *Naturæ* Definitio, ac ea, quam dedit HELMONTIUS (*pag. 45.*): nempe, quod sit *Jussum Dei, quo res est id quod est, & agit quod agere jussa est.*

§. III.

Unicum saltem ex Creationis Historia Specimen ultro elucidabit omnia. *Dixit Deus: Fiant Luminaria in Firmamento cœli, & dividant diem ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos: ut luceant in Firmamento cœli,*

&

& illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo Luminaria magna; Luminare majus, ut præesset diei, & Luminare minus, ut præesset nocti; & Stellas. Et posuit ea in Firmamento cœli, ut lucerent super terram, & præessent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras (GENESIS *cap. 1.*). Patet hic Dei Creatoris Imperium, quod Luminarium illorum, non Essentiam modo, sed & Actionem, determinat.

§. IV.

Profecto admodum adæquata videtur illa HELMONTII Definitio; nec facile, me judice, alia excogitari possit, quæ rem hanc perfectius distinctiusque exprimat; omni certe *Naturæ*, tam Spirituali, quam Corporeæ, accuratissime convenit; Divinæ tantum non respondet; neque tamen penitus dissonat; ipse etenim Deus, *Naturam* suam declaraturus MOYSI, dixit, *Ego sum qui sum* (EXOD. *cap. 3.*): quod prope equidem ad præmissam Definitionem accedit: sed tantum creata omnia Creator superat, ut sub eandem

 plane

plane Definitionem cadere nequaquam possit.

§. V.

Nec longe ab his absuit HIPPOCRATES. Sic (pag. 345, ex Interpretatione *Foësii*) inquit: *Naturam vero Dii omnes certo ordine constituerunt.* Tum (*pag. 1022.*), *Medicamentorum vero Naturas esse scimus, ex quibus, ut talia, & hujusmodi, sint, habent; neque enim omnes uno, & eodem, modo, sed aliæ aliter, se habent.* Tandem (*pag. 1184.*), *At nullo quidem edocta Natura, citraque disciplinam, ea, quæ conveniunt, efficit.*

§. VI.

Hæc, & alia, quæ passim in ejus Operibus occurrunt, evidenter docent, agnovisse Magnum hunc Virum; 1°. *Naturam* a Diis esse; 2°. *Naturam* esse id, quo Medicamentum quoddam tale est, quale est, & distinctum ab omni alio; 3°. *Naturam* efficere ea, quæ conveniunt (minime autem convenit, quidquam efficere, nisi quod jussum est). Si hæc Omnibus Creatis tribuantur (nec quidpiam,

piam, ut videtur, repugnat), adparet, ſententiam HIPPOCRATIS de *Natura*, cum iis, quæ (§. II.) diximus, ſi non penitus, plurimum ſaltem, coincidere.

§. VII.

Interea neutiquam negaverim, *Naturæ* Nomen eidem Auctori Significationibus ab hac dicta diſtinctiſſimis ſæpe in uſu eſſe, quod & in aliis Scriptoribus occurrit quam frequentiſſime; ſed huic rei non inhærebo: ſufficere viſum eſt, ſi Definitum ſit id, quod proprie per *Naturam* intelligendum cenſeo. Reliquæ Nominis hujus applicationes admodum numeroſæ ſunt, quas ut pertractare non admittit propoſita brevitas, ſic ſane non magis commendat exigua utilitas: præſertim, quum obviæ ſatis ſint in *Oeconom.* HIPP., *Lexico* BLANCARDI, aliisque: ex quo, ſi quis deſideret, fonte non difficulter hauriri poterunt.

§. VIII.

Sed exiſtimabit forte aliquis, *Naturam* non ita recte *Juſſum Dei* (§. II.) dictam eſſe; at potius, poteſtatis ex hoc Juſſo

na-

natæ, aut Ideæ Divinæ ipsis creaturis Impressæ, similive nomine, insigniendam. Sane eodem fere redit res. Malui tamen ego, *Jussum Dei* dicere, quoniam merito sic appellari posse videbatur, atque imprimis, quod pro eo staret tanti Viri, ipsiusque etiam PSALMISTAE, auctoritas.

§. IX.

Reliqua, quæ complectitur data Definitio, *Naturam* ponunt, & quatenus creata inter se distincta reddit, determinatque singula (sic *Natura* Aurum facit esse Aurum, atque ab omni creato distinctissimum); & quatenus Causa est omnium eorum, quae in tali determinato subjecto absolvuntur, juxta Institutum Illius, qui hæc ita fieri voluit: Magnes ex. gr. Ferrum attrahit, ad quam Actionem ex sua *Natura* disponitur, quæ ubicunque adest, hoc fit, ubi abest, id nunquam peragitur: vera ergo est illius Actionis Causa. Idem & de aliis verum est.

§. X.

Denique & hoc notandum, Res ipsas per *Naturam* non semper cogi, ut agant omne

omne id, quod agere possunt; uti forte male quis ex Definitione colligeret: sic de *Natura* acidi est effervescere cum alcalinis; hæc tamen Effervescentia nunquam obtinet, nisi sibi invicem admisceantur; cæterum quiescit utrumque. Unde videmus, *Naturam* indere modo creaturis aptitudinem, ut, dum agunt, ita agant, ut agere jussæ sunt: quam actionem ut producant, semper Causa Excitante indigent.


§. XI.

Hæc vero Causa Excitans si accessit, coguntur necessario Agere. Acido (ut in eodem Exemplo maneamus) dum permiscetur Alcali, non potest non Effervescentiam concipere. Patet igitur, *Naturam*, datis conditionibus requisitis, Agere inevitabiliter, & in iisdem conditionibus semper eadem penitus Lege, certo igitur & immutabili Ordine. Hæc fere sequentibus verbis SALINGENIUS expressit:

Naturam vero appello Legem Omnipotentis

Supremique Patris, quam prima ab Origine mundi
Cunctis imposuit rebus, jussitque teneri
In-violabiliter, &c.

Confer Psalmistam §. I.



DE NATURA HUMANA.

§. XII.

Quæcunque hactenus (a §. I. hucusque) dicta sunt, eo ordine conatus sum digerere, ut facili negotio ad *Naturam Humanam* applicari possint. Hanc enim pertractare, Scopus erat. Reliqua nulla alia ratione addidi, nisi quod sic facilius ipsa *Natura Hum.*, quousque id licet, intelligi posse videbatur.

§. XIII.

Definitio igitur ante data, &, quæ hactenus enarravi, alia, commode huc transferri poterunt: proinde inutile esset, hæc repetere.

§. XIV.

Quædam tamen de *Natura Humana* ſuperaddere conveniet, quæ ad multas etiam alias cautus quisque accommodare poterit. Homo Anima conſtat ac Corpore; Anima igitur pars eſt Compoſiti, uti & Corpus. Concipiamus nunc partes has, tanquam ab invicem ſeparatas: videbimus, ſuam Animæ *Naturam* eſſe, ſuam Corpori; quæ *Naturæ* nihil omnino commune habeant. At uniantur Anima & Corpus; *Natura* ergo Utriusque ſimiliter unitur; fit Tertium Quid; hoc jam, nec Anima, nec Corpus, ſed Homo, eſt; neque Agit ulterius, ut Anima, aut Corpus, ſed ut Compoſitum ex his. In homine itaque Animæ & Corporis *Naturæ* non manent diſtinctæ, uniuntur; unitæ faciunt *Naturam Humanam*: hæcque in ipſo puncto unionis naſcitur. Sic binæ *Naturæ*, toto ſane cœlo diverſiſſimæ, ſtupendo Artificio confluunt; & Neutra remanet; verum inde Una Tertia exſurgit. Hæc non fit prædictarum binarum ſimplici tantum quaſi Appoſitione, ſed Nova prodit. Supponamus enim talem *Naturarum* Appoſi-

positionem; necessario sequitur, ut, quidquid observamus in homine, vel Mentis, vel Corporis, *Naturæ* adscribi queat. Quorsum ergo Motum ex. gr. Voluntarium referes? an Corpus ex *Natura* sua Voluntarie movetur? negant Cadavera: neque Mentis *Naturæ* adsignari potest; nam accidit Corpori. Adeoque Motus Voluntarius non est Naturalis Corpori, non Menti, sed homini. Idem in multis aliis Actionibus luce meridiana clarius. Hinc etiam, nec Corpori, nec Animæ, mandavit Creator, *Crescere & Multiplicari* (GENES. *Cap.* I.), Homini Legem istam imposuit. Facta proinde Unione, Nova *Natura* exsurgit, quæ, licet *utcunque* Mentis ac Corporis *Naturas* retineat, ipsa tamen latius etiamnum patet. Sicque, *re ipsa*, sub prima Creatione alia Corpori *Natura* erat, alia Menti, alia, his unitis, facto Homini; Agitque Homo, partim ratione Mentis, partim ratione Corporis, semper tamen ratione Compositi, secundum *Naturam* suam, id est, *Humanam*. Male itaque *Natura Humana* aut Animæ attribueretur, aut Corpori, dum contra, tam-

tamquam Diversum Quid, & prorsus Singulare, cogitanti occurrit. *Nec tamen, proprie loquendo, Pars est Hominis, qui præter Animam & Corpus nullas ejusmodi Partes agnoscit; sed PARTIUM HARUM UNITARUM IMMEDIATUM ET INSEPARABILE ATTRIBUTUM.*

§. XV.

Id porro singulare *Natura Humana* sibi arrogat, *quod sit omnium, quæ in terris observantur, perfectissima.* Perfectionem *Naturæ* cujusdam æstimare debemus ex perfectione ipsius Rei, & splendore Actionum, ad quarum exercitium *Natura* eam aptam reddit. Alia hic Criteria non habemus; nec aliquid, in universum, de *Natura* cognoscere possumus, nisi ex Rebus ipsis, atque imprimis ex Actionibus, quæ potissimum nostros sub sensus cadunt. Et sane hæc Judicii ratio satis apte datæ Definitioni congruit.

§. XVI.

Sed binis his excellit *Natura Hum.* Si enim ipsum Hominem spectes, is *Juxta*

Imaginem Dei factus (GENES. *Cap.* 1.), huicque inter Creaturas Sublunares omnium proximus est: quum vero Deus sit supra cuncta perfectissimus, huic ex Corporeis proximus sit Homo, ejus ergo perfectio inter dicta erit maxima. Quodsi his Nobilitatem Actionum, quibus supra alia ex *Natura* sua Homo aptus est, adjicias, non negabis, credo, *Naturam Hum.* omnium, quas terra exhibet, perfectissimam esse.

§. XVII.

Evincunt id inprimis Animæ sic dictæ potentiæ; Idearum Mente perceptarum Communicatio per Sermonem; maxime omnium Usus Rationis: & quamvis in Actionibus quibusdam magis Corporeis alia Homini sæpe prævalere deprehendantur, ut Celeritate Cervum, Odoratu Canes, præprimis odorisequos, &c., quibus hæc in singulares usus largiri Creator voluit; tamen, si omnium Actionum pondus libretur simul, certissimum est, cedere ipsi Omnia.

§. XVIII.

Hoc magis confirmatur ex eo, quod Viventia ſane Non Viventibus Nobiliora ſint; inter illa autem excellant Animata; quæ non ſunt niſi Brutum, & Homo: proxime ergo Homini perfectione *Naturæ* accedit Brutum: ſed quantum horum etiam præſtantiſſimum ab illo adhuc diſtat! Manifeſtum hinc, *Naturam Hum.* inter ſublunares perfectiſſimam eſſe. Sic, poſtquam Omnium Creationem retulit OVIDIUS (*in Initio Metamorph.*), merito videtur dixiſſe:

Sanctius his Animal, mentisque capacius altæ,
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet,
Natus Homo eſt; &c.

§. XIX.

Hanc quoque *Naturæ* perfectionem variam eſſe in variis Hominibus, poſtmodum (§. XXIX.) videbimus.

§. XX.

Natura autem *Humana* nunquam niſi *in ſolo Homine deprehenditur*; hinc eidem,

si *abstracte* spectatur, omnino Singularis est (& hoc de aliis quibuscunque verissimum): quod falsum, ubi quis eam considerat, quatenus ex aliis participat: decipitur enim, qui existimat, *Naturam Hum.* esse Simplicem: *Habet enim homo nonnihil ex Bruto, Brutum nonnihil ex Planta*, &c., ut ait VERULAMIUS (*in Lib. de Sapient. Veter. pag. mihi 29*). Sic ut *Natura Hum.* Composita reverà sit, nequaquam Simplex, partimque Homini cum aliis Communis, partim etiam (quod *Humanam* esse facit) Singularis, & Propria. Etenim, ut Actiones ipsæ, sic & earum Causa (*Natura*) sese habere videtur; ac proinde, ubi Communes sunt Actiones, Communis quoque Causa (*Natura*) erit; & quæ omnes, in universum, Actiones Communes habent, ea etiam, in genere, *Natura* convenient; quæ vero quasdam tantum Actiones Communes habent, quasdam Proprias, ea partim *Natura* convenient, partim different; quum ergo Homo Actiones quasdam Communes, quasdam Singulares, sortitus sit, *Natura* ejus, partim Communis erit, partim Propria.

§. XXI.

§. XXI.

Ita ut merito rursus cum eodem VERULAMIO (*loco citato*) videamur posse concludere, *Naturam Hum.* (quod is de omnibus profert) *ex specie superiori, & inferiori, Compactam*, vel etiam ex ea, quæ Communis est omnibus Corporibus, ex Vegetabili, atque ex animali, conflatam, esse. Quibus si tunc id, quod Homini singulare est, addideris, *Naturam Hum.* concipies, sed hactenus omnibus Hominibus Universalem.



DE NATURÆ HUMANÆ DIVERSITATE IN VARIIS.

§. XXII.

Si *Naturam* contemplemur *in abstracto*, una modo sese offert omnibus Creatis Universalis: hinc unica Definitione (§. II.) comprehendi potuit; & hac, singulis quorumcumque Creatorum *Naturis* æquali jure adscribenda. Unde, hoc

respectu, vel Omnia *Natura* conveniunt.

§. XXIII.

Si vero Genera, Speciesque singulas, rimamur accuratius, *Naturam* in iis distinctissimam deprehendimus. Quæ ergo *Naturæ* Diversitas, non adeo ex ipsa *Natura*, per se spectata, ac quidem a varietate Subjecti, & prout illud ad varias Actiones a Creatore comparatum est, videtur procedere.

§. XXIV.

Adeoque duplici modo *Naturam* considerare possumus: 1°. in se; 2°. quatenus certis Subjectis inest: atque hac 2. ratione omnia Creata *Natura* differunt; sicque non modo Genera, & Species, sed & ipsa sub qualibet Specie Individua, *Natura* distinguuntur: quod ut in Animalibus manifestius est, ita & in reliquis non minus verum esse, suadet Ratio.

§. XXV.

Hanc *Naturæ* Diversitatem in Hominibus obtinere, notavit jam Hipp. (*pag.* 756);

756); cum dicit; *Natura a Natura, & ætas ab ætate, plurimum distat:* nam id quidem verum est, quod, si *Naturam Hum.* consideres, ratione habita ad Universam Speciem, una tantum, omnibus Individuis Communis, occurrat; sed in unoquoque Homine aliquid, huic Singulare, priori Specificæ *Naturæ* junctum (*Idiosyncrasian* vocant), facit, *Naturam Hum.* variam esse in variis, nec in duobus omni dote eamdem: quin & pro Ætate, &c., in eodem Homine sic variat.

§. XXVI.

Latissime ergo *Natura Humana* dispersa in Individuis est; hinc in unam quasi Specificam coit, qua omnia Individua conveniunt; Specifica hæc cum aliis rursus eadem ratione Genericæ copulari potest: sic, Adscendendo, *Natura tandem omnis in Unum quasi confluit* (VERULAMIUS *loc. cit. pag. 28*). Quod si ponitur, una illa Universalis *Natura* simplicissima erit, & vilissima: cui, Descendendo, successive adjunctæ Singulares) (ut ita dicam) *Naturæ* Perfectionem majorem tribuent, donec ad Perfectissimam

inter Sublunaria *Humanam* pervenerit, ipsa rursus, unitis *Idiosyncrasiis*, maxime Diversa. Horum adsertorum multa cautus distinguet ab aliis (§. XXI. & XXII.)

§. XXVII.

Dictorum (§°. XXV.) veritas manifesta videtur: id enim negat nemo, in unoquoque Homine Actiones exerceri, quamvis in universum easdem, ac in altero, omnes tamen aliqua ratione semper distinctas. Communi sententia, ne vel in duobus Hominibus Sanguinem omni dote eumdem inesse, adseritur (quod & aliis quibuscunque eodem jure potest attribui); si tamen actiones, quæ omnes ad ejus Elaborationem plus minusve cooperantur, omnino eædem essent, idem necessario generaretur Humor. Hinc (ex §°. XX.) patet, in singulo quoque Homine unam cum aliis Hominibus Communem *Naturam* esse, cui altera quasi singularis adjungitur; quod adstruxeram.

§. XXVIII.

Considero autem hic, ut & in sequentibus, *Naturam*, imprimis prout in Corporibus *Operativa* est: qua ratione, maxime,

xime, si non tantum, videtur Medicinam respicere.

§. XXIX.

Ex his etiam liquet, quod (§°. XIX.) jam obiter monui, *Naturam*, in uno magis, in altero minus, Perfectam esse. Quæ quidem major, minorve, *Naturæ* Perfectio ex eo potissimum videtur deducenda, quod Corpora varia sint, & ad actiones, quibus ex Communi Specifica *Natura* apta redduntur, Perfectius, vel minus Perfecte, exercendas accommodata. Idem insuper exinde patet, quod, cum *Naturam* in singulis Hominibus Diversam esse dixerim, si ponatur una Perfectissima, alia necessario propius, ac alia, eo accedere debeat.

§. XXX.

Sua tamen cuique *Natura* est Perfectissima, & optima; agens scilicet, uti totius Fabrica exigit: hinc, hoc respectu, omnes alias, quantumvis ex se Perfectiores, superat.

§. XXXI.

Sed an etiam Diversæ *Naturæ* variis Partibus in eodem Homine possunt adtribui? quemadmodum HIPP. cuilibet fere

singulari Parti distinctam quasi *Naturam* assignasse videtur: ut Membris (*p.747*), Vasis (*pag. 6*), Humoribus (*pag. 16*), Ossibus (*pag. 1028*), Nervis, Carnibus, &c. (*pag. 1191*)? Sane omnibus his, si seorsum spectentur, sua Singularis *Natura* merito adscribitur; sin autem considerantur, ut Partes concurrentes ad Constitutionem Totius, *Naturam* a Toto distinctam non habent; Una enim in Uno Homine tantum *Natura* inest; quæ, ut Totum Corpus, ita quaslibet ejus Partes, sibi subjecta tenet.



DE NATURÆ HUMANÆ PRODUCTIONE.

§. XXXII.

Stupendas *Naturæ* Actiones, ut ubique, sic inprimis in Generationis Negotio, admiramur; de quo sollicita admodum *Natura* 1. omnes Actiones Corporis ita dirigit, ut Semen elaboretur, continens verum Stamen futuræ Prolis, unde

de creſcat Simile ei, ex quo depromitur: id de Vegetabilium Seminibus adſerunt BOTANICI; de Humano, aliorumque Animalium, Semine per Microſcopia demonſtravit LEEUWENHOEKIUS: & ut hoc modo in Viris agit, ita in Mulieribus non minus accurata eſt producendo Ovo; factoque Conceptu, apta ſubminiſtrando Adminicula, ut in perfectum infantem excreſcat Embryo; illumque etiam exclusum nutriendo, usque dum ſibi ipſe ſufficiat: quibus apte conſpirantibus, Propagatio abſolvi poſſit. Hæc *Naturæ* Poteſtas, certa atque infallibili Lege, niſi aliunde impediatur, agens, Homini, ut plurimæ, ſi non omnes, Naturæ Actiones, imperſcrutabilis penitus habenda videtur, Effectu tamen certiſſime obſervanda. Quæ ne langueret, *Stimulum* 2° *indit, quo deſiderant Speciei ſuæ Æternisationem* (MAURICEAU *pag. 75.*); hinc nunquam ex ſe deſtruendæ. 3 *Diſponit* (HIPP. *pag. 916.*), ſi ita loqui liceat, ex Idea quadam, ſibi a Creatore indita, ad Uſus ſuos aptiſſime ſingula; quin & jam *diſponit*, ex quadam quaſi Providentia, ea, quæ Uſui nondum ſunt, ſed erunt,

erunt, ut Pulmones ex. gr. in Fœtu, &c.

* Hæc *Metaphorice* intelligenda ſunt. Circumſpectus Sermo ultro quidem Cautelam innuit. Non inutile tamen fuerit, rem hanc aliquanto diſtinctius explicasſe. Repugnat certe, ſtricte loquendo, ut *Natura*, ſimplex *Attributum* (§. XIV), Ideas, & Providentiam, poſſideat. Quæ igitur, ſano ſenſu, ita accipienda erunt. Juſſit Deus, ut *Natura* juxta Divinam ſuam Ideam ageret; quæ certe Divina Idea Providentia non caruit. Sufficit Mandatum hoc; & licet Cœco plane Impetu *Natura* agat, agit tamen, quæ Creator præſcripſerat. Et hæc vera in Creaturis omnibus agendi ratio. *Divina Mens*, uti pulcherrime HIPPOCRATES loquitur, *edocuit ſua Opera imitari cognoſcentes quæ faciunt, & ignorantes quæ imitantur* (pag. 344.). *Viri* ex. gr. *cum Muliere Congreſſus, facit, ut ex re manifeſta obſcura cognoſcatur, quod ſic Puer futurus eſt* (pag. 345). *Commeant & transmoventur illa huc, & hæc illuc; - - - & quæ quidem faciunt, neſciunt,*

quæ

quæ vero faciunt, ſcire videntur, & quæ quidem vident, non cognoſcunt. Et tamen his omnia, Neceſſitate Divina, contingunt, & quæ volunt, & quæ nolunt (pag. 342). Idem aliis, quæ in ſequentibus occurrent, levioribus Hyperbolis applicandum.

§. XXXIII.

Ex §. XXXII. num. I. colligitur, *Naturam, ut omnium aliorum, ſic & Humanam, fixam eſſe in Propagatione ſuæ Speciei*: nunquam enim Homo, niſi ex Hominibus, producitur; ſic & quæcunque vel minima Inſecta ſuæ Speciei Simile procreant, nec unquam, niſi a Similibus, progignuntur, ex Sententia FRANC. REDI, multis ab eodem Experimentis ſuperſtructa (*in Litt. ad ill. Virum* CAROL. DATUM); cui ſubſcripſit SWAMMERDAMMIUS (*in Hiſt. Inſect. gen. p. 91*). Vana ergo ſunt, quæcunque hic Poëtæ, & Vulgus, fabulantur. Nec refragatur huic Sententiæ Magni VERULAMII (*in Sylva Sylv. pag. 363*), Aliorumque, qui in contraria Opinione verſantur, auctoritas; quoniam hi ante pleniorem ſupra dictorum Cognitio-

tionem scripserunt; indies autem increscunt Scientiæ.

§. XXXIV.

Minime etiam adversantur his *Monstra*, alienam quasi *Naturam* referentia; etenim Monstrum, ex. gr. ex Hominibus genitum, nunquam aliam, quam *Humanam*, *Naturam* possidere, certum videtur; nec aliud esse, quo Monstrum tale a legitime facto Fœtu differat, præter solam Formam externam: quod satis ex LICETI *Tract. de Monstris, imprimis cap.* 1, potest intelligi. *Natura* ergo & hæc gaudent vere *Humana*. Si enim Forma externa quidquam ad *Naturam* faceret, sæpe alterius *Naturæ* Animalia produxisset Homo (Exempla sunt *in eodem Tractatu*): id vero impossibile, nisi determinatum huc requisitum Semen in Humano Corpore generatum fuerit: quod toti *Naturæ*, & Structuræ Corporis Humani, absolute repugnat. Neque Semen Humanum in alienam *Naturam* permutandi Potestas Gravidæ videtur inesse: nam & hæc gaudet Generatione Similis, & tota ad id comparata est.

§. XXXV.

§. XXXV.

Videtur autem *Natura Hum.* *ex Parentibus in Filios derivari*, indita primis Hominibus a Conditore, ſimul cum *Natura*, Potentia Generandi ſibi Simile, hinc *Naturam* ſuam communicandi producendis Filiis, quibus & eadem impresſa Poteſtas in ultimos usque Nepotes protrahatur. Niſi quis exiſtimet, Deum, ad Parentum indolem, *Naturam* hanc ſingulis Individuis de novo quaſi infundere. Sed hæc ad noſtrum forum vix pertinent; itaque ſuperſedebo.

§. XXXVI.

Saltem id, quod producitur, ſemper *Naturam* ſui producentis exhibet: ſicque, immobili Ordine, & ſtabili Lege, ſimilis Species continuat per ſimilia *Natura* Individua.

§. XXXVII.

Nec tamen, ex Patre tantum, vel ſola etiam Matre, *Naturam* hanc in Filios deſcendere, ſtatuendum videretur, ſed ex Utrisque ſimul: quod ex aliorum Anima-

malium promiſcuo Coitu, ſatis evidenter diſcimus: ſic *ex Equa*, & *Aſino*, nunquam Equus, aut Aſinus, *naſcitur*; ſed *communicans ex utraque Natura Monſtrum, Mulus* (MAURICEAU *p.*64, HARVÆUS *in Exercit. de Gener. Animal. pag. mihi* 270). Ad hoc videtur alluſiſſe OVIDIUS, cum de Gemellis ex ORYTHIA & AQUILONE natis, dicit:

- - - *Partuque enixa Gemellos,*
CÆTERA QUI MATRIS, PENNAS GENITORIS, HABEBANT.


§. XXXVIII.

Difficile apparet, determinare, *Quo Tempore Natura Hum. in Generatione accedat*. Attamen in ADAMO, ſucceſſive facto, aliquid hujusce rei adſequimur: *Finxit* enim 1°. *Deus Corpus ejus de pulvere terræ*: ſed aberat adhuc *Natura Humana*: poſtea *Sufflavit in nares ejus* (GEN. *cap.* 2): &, ex hoc, facto Corpori acceſſerunt Anima, *Natura*, & Vita: factusque eſt *Homo Vivens*.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Igitur ipſo momento, quo Anima copulatur Corpori, prodeunt ſimul *Natura* & Vita. Accedit proinde *Natura Humana*, illo inſtanti, quo Anima, quo Vita: tria enim hæc Corpori ſuperadveniunt ſimul, nec aliud alio, niſi ſola, ut loquuntur, *Ratione*, prius eſt. Hinc, ſi quis valeat determinare Tempus, quo accedit, vel Anima, vel Vita, eodem opere demonſtrabit, Quo Tempore accedat *Natura*.



DE NATURÆ HUMANÆ STABILITATE.

§. XL.

Communicata ſemel Natura, porro Inmutabilis, nec potens vel augeri, vel minui, adeoque Indiviſibilis, permanet omnino eadem, in eodem Homine, ad mortem usque.

§. XLI.

Inmutabilem Naturam eſſe, certum eſt:

ſi enim Mutaretur, non maneret idem, qui ante fuerat, Homo; cum a *Natura* Singulari Singulare ejus *Eſſe* dependeat (§. XXV). Hominem interim eundem eſſe, qui nunc moritur, & qui, ante tot annos, ex tali Patre, in tali Matre, conceptus fuerat, nemo non fatebitur. Adeoque in hunc usque diem Singularis illius Hominis *Natura* non mutata perſtitit.

§. XLII.

Unde ergo fit, rogabit quis, tantum in eodem etiam Homine, pro diverſis temporibus, ſæpe differre Actiones, ut magis diſtinctæ ſint, ac in duobus Individuis, prope ad ſe mutuo accedentibus, quorum tamen *Naturas*, maxime ex hoc, diſtinctas diximus (§. XXVII)? Reſpondeo: Duplici ratione ſpectari *Naturam* poſſe (§. XXIV); ſcilicet 1°. in ſe; & tunc certiſſime Inmutabilis eſt; manetque eadem ad mortem usque (§. XLI): Verum ſi 2°. conſideratur, in ordine ad Subjectum, quod occupat, minime negaverim, *Naturam* Mutari poſſe, in eodem etiam Homine: quin & hoc jam inde præmonui (§. XXV).

§. XLIII.

Illam autem Mutationem Corpori magis, ac *Naturæ*, attribuendam esse, unusquisque, credo, agnoscit. Sic & ista actionum, in eodem homine, Diversitas a Corpore mutato tantum, ut videtur, pendet.

§. XLIV.

Hæc ut clarius intelligantur, considerandum est, *Naturam, ex se, semper eadem ratione Agere: omnis autem ejusdem Actio* Imperare *est; quod Imperium exsequi, incumbit Corpori, eidem subdito.* Exsequitur vero datum Præceptum Corpus, varia ratione, prout ipsum varium est. Varietas ergo Actionum, non a *Natura*, sed a varia Corporis Conditione, nascitur; quæ Conditionis Diversitas non modo *Congenita* est in variis Hominibus, sed & in eodem, imprimis per Usum sex Rerum, quas Non Naturales vocant, Morbos, & Ætatem, ut quotidie observari potest, pro variis temporibus, accedit; sicque *Acquisita* dici meretur. Corporis igitur Conditio, in eodem etiam Ho-

mine, Mutatur; hinc mirum non est, si & Actiones varient.

§. XLV.

Sed regeret quispiam, Observatum esse, Morbos Hæreditarios, in ipsa, ut videtur, *Natura* radicatos, sanatos fuisse: quod neutiquam, nisi Mutata *Natura*, contingere potuerit. Verum Morbi illi, non in ipsa *Natura*, sed in certa quadam Corporis, Partiumve ejus, ratione, sedem habere, longe probabilissimum est: hanc si quis corrigere valeat (quod difficile quidem, subinde tamen haud impossibile), vel saltem Effectum prævertere, Morbum illum, vel curabit, vel avertet; nec interim *Natura*, sed Corpus tantum, mutabitur.

§. XLVI.

Manet ergo, quod adstruxi, *Naturam* nempe, in eodem Subjecto, ex se, Inmutabilem (§. XL. XLI.), omnem vero Mutationem ipsi Corpori attribuendam, esse (§. XLIII): neque, Mutato hoc, ipsam *Naturam* Mutari, existimo, quamvis ea speciem imponat, sed & tum, sub aliena Forma,

ma, eandem persistere. Unde NABUCHODONOSOREM (alii NEBUCADNETZAREM legunt), Potestate Divina Mutatum, ita ut *Herbam, tanquam Boves, comederit, & Pili ejus, ut Aquilarum Plumæ, creverint, & Ungues ejus, ut Avium* (*S. S. DANIEL. cap. 4*), vere adhuc *Humana Natura* præditum fuisse, certum videtur, sola Forma extrinseca distinctum; quod etiam in sequentibus, SACRÆ LITTERÆ, ut apparet, satis evidenter innuunt.

§. XLVII.

Hanc ipsam OVIDII Sententiam fuisse, passim ex ejus *Fabulis* docemur: sic ex. gr. ubi ACTÆONEM, in Cervum Mutatum, adfert, in eo, ut alienam Formam memorat, sic, *Naturam Hum.* integram perseverasse, abunde significat, dum Affectus, quales homini tantum insunt, eidem attribuit, *Mentemque pristinam remansisse*, aperte enuntiat. Idem quoque eleganter exprimit, ubi, ERISICHTONE annosam Quercum prosternente, ait:

Editus e medio sonus est cum robore talis:
NYMPHA SUB HOC EGO SUM &c.

Hinc Idem in Historia PROTHEI optime notat:

Sæpe Lapis poteras, Arbor quoque sæpe, VIDERI.

§. XLVIII.

Quin & hoc magis confirmatur ex eo, quod admodum probabile sit, *eandem etiam Naturæ Constantiam omni Creaturæ inesse.*

§. XLIX.

Sic in INSECTIS, quantumvis, Formam Corporis externam mutari, manifestum sit, *Naturam* tamen non mutatam persistere, Ratio suadet: nempe Mutatum sic Insectum nemo, credo, novam omnino Creaturam esse, asseret: sola ergo Forma Mutata, idem nunc est, quod ante fuerat, Animal; hinc & *Natura* manet eadem. Quod vero Mutatum ita Animal quasdam nunc Actiones exerceat, quibus ante ineptum erat, id

Mu-

Mutatæ Corporis Fabricæ debetur, pro cujus varietate diversas, quas *Natura* exserit, Actiones esse, vidimus (§. XLIV): sic, enatis in quibusdam Alis, aptum fit volando Animal, uti ex. gr. ex Bombyce factus Papilio; nec tamen magis exhinc, de *Natura* in hoc Animali Mutata, concludendum videtur, quam in DÆDALO & ICARO, cum, fabricatis arte Alis, Aëri se committerent: id autem nemo adstruet.

§. L.

Hinc dictus, Mutato Nomine, Formaque, Papilio, idem *numero* est, qui ante fuerat Bombyx, *Natura* omnino eadem præditus, Corpore tantum in nonnullis permutato, talibusque instructo Adminiculis, quibus ad novas quasdam Actiones sufficiat: quin imo Mutationem hanc ipsa illius Animalculi *Natura* postulat, totumque eo comparatum est; quum in Eruca alas jam demonstraverit SWAMMERDAMMIUS, post demum in Papilione expandendas; qui, quod majus est, *in Nymphis, quin jam ante in Vermiculis, omnes partes, omnia membra, futuri*

Animalculi, æque distincte, ac post in ipso Animalculo, conspici, universaliter pronuntiat (*Hist. Insect. Gener. Sect. impr. 2*).

§. LI.

Patet igitur, stricte loquendo, potius dicendum esse, Perfici hoc tempore Corpus ipsum, explicatis, quæ ante latuerant, Partibus, quam Corpus Mutari; adeoque, nec *Naturam*, nec Corpus, proprie Mutari in Insectis; sed eandem *numero* manere *Naturam*, Corpus vero, juxta specificas Singularum *Naturas*, stato tempore, istis instrui Adminiculis, quorum Rudimenta, quamvis eo tempore inutilia (nisi in futuros usus), ante tamen jam adfuerant: hinc mirum non est, si Corpus novis Actionibus aptum fiat.

§. LII.

Non minus id (§. XLVIII.) VEGETABILIBUS competit: docent Inoculationes, ubi duplicis *Naturæ* Arbor artificiose jungitur, Surculo alieno in datum Truncum insito. Bina hæc excrescunt simul in unam, ut se offert, frondosam Comam læ-

lætiſſime; ſua nihilominus utrique diſtincta manet *Natura*; Fructum namque fert, quoad ſaporem, & alias quasdam accidentales dotes, emendatum quidem, non mutatam tamen *Naturam* evincentem incluſo Semine, ex quo, ſato, nunquam Mediæ *Naturæ* Arbos enaſcitur, ſed talis, quæ immotam adhibiti Surculi *Naturam* omnino exprimat. Neque Truncus ipſe *Naturam* exuit, ſed manet, qualis ante fuerat; nulla enim ſeſe offert ratio, qua Mutatam quis ſuſpicari poſſit: quin certum eſt, ſi excreta Arbos reſcindatur rurſus ſub loco, quo facta fuit inſitio, prodituram inde, niſi moriatur, aliam, quæ non mutatam pariter Trunci *Naturam* demonſtret. Adde his Experimentum §°. LXXXIX.

§. LIII.

Hinc non immerito concluditur, *Naturam* in Vegetabilibus, quamdiu hæc adhuc vivunt, vigentque, inmutabilem eſſe. Nunc & aliud circa eadem videamus.

§. LIV.

Nonne manifeſta fit *Naturæ* eorundem

Permutatio, dum, post Mortem (ut ita dicam); Planta quæcumque, ex se Acescens, eo reducitur, ut in Alcalinum liquamen transeat (Vide Cl. BOERHAVII *Chem. Proc. 88*)? Sane maxime distant a se invicem *Naturæ* Acescentis & Alcalini! dico tamen, *Naturam* horum neutiquam Permutari. Si quis velit, *Naturam* horum Vegetabilium, Acescentium nomine cognitorum, in ipsa illa Acescentia positam esse, Mutatur hic *Natura*, fateor; fiunt enim Alcalescentia primo, ac deinde Alcalina: minime vero in hac eorum *Natura* constituenda videtur, quum non sit nisi Dos Vegetabilium accidentalis; quoniam adesse potest & abesse; neque magis ad *Naturam* Vegetabilium, Acescentium dictorum, facit acescentia, quam alcalescentia; sunt namque indifferentia, ut, vel, sibi commissa, Mutentur in acidum, unde acescentium nomen habent, vel, compressa, transeant in alcalinum: & utraque illa Mutatio, in dictis conditionibus, æque secundum *Naturam* eorum fit, semperque, & inevitabiliter, accidit. Unde, stricte loquendo, non dantur Herbæ absolute acescentes; sed, quæ

vulgo

vulgo hoc nomine insigniuntur, indifferentes sunt (ut diximus), pro Conditionum varietate, vel in acidum Mutabiles, vel in alcalinum.

§. LV.

Ut dicta hæc (§. LII. LIII. LIV.), nequaquam confundenda, clariori idea illustrentur, obiter notandum, me Duplicem posuisse *Naturam* Vegetabilium; *primam*, quæ, viventibus adhuc, *Esse* suum Singulare, & agere, tribuit; hæc, una cum Vita, recedit: *aliam*, quæ soli tantummodo Corpori, partibusque, ex quibus construitur, adscribi debet; hæc, etiam post Mortem, remanet; ac, tum imprimis, Leges statuit neutiquam violandas: sic Fœnum amisit *Naturam* Gramini Vigenti magis propriam, nec tamen omni *Natura* destituitur, sed suam etiam possidet, juxta quam Determinatur, & agit. Idem, clariori Exemplo, occurrit in Homine, cujus Cadaver, *Natura Humana* penitus destitutum, sua tamen præditum deprehenditur, juxta quam, Grave est, Impenetrabile, Putrescens, & sic porro.

§. LVI.

§. LVI.

Ex his facile intelligitur, quid de FOSSILIBUS sentiendum sit? Nitrum ex. gr. *Sal est* saltem *Semifossile* (*Chem.* Cl. BOERH. *Tom. I. pag. 44.*); nihilominus per artem quasi Vegetabile efficitur (*Idem, Proc.* 140). Neque tum, ut ex dictis (§. LIV.) patet, Mutatur *Natura* Nitri, at, quae fit, Mutatio Qualitates tantum Accidentales respicit, ipsumque Nitrum eo ex sua *Natura* disponitur. Sed an Vegetatio hæc ipsi quidem Nitro adscribenda? an non idem posset fieri, Seminibus ex Aëre ad ejus superficiem appositis, in determinatæ suæ Speciei Plantulas excrescentibus (quod in aliis quibusdam pro certo habetur)? Hoc sane si verum foret, eo magis de Pristina Nitri *Natura* convinceret.

§. LVII.

Ergo nec Mutatur *Natura* Corporum, quamvis id, primo intuitu, ita appareat, per Putrefactionem, Fermentationem, Attactum Magnetis, Destillationem, aliasque Mutationes, sive Spontaneas, sive Artificiales.

§. LVIII.

Quibus omnibus (a §°. XLI. huc usque) collectis, Concludimus, *Naturam*, tam in Fossilibus, Vegetabilibusque, quam in Insectis, atque Homine (pro cujus Confirmatione omnia reliqua tantum adtuli), nullatenus permutari, sed Inmutabilem esse.

§. LIX.

Erramus igitur, qui *Naturas* Permutatas credimus, ubi Dotes ante visas vel non deprehendimus, vel novas observamus: quod Judicium quam temerarium sit, docet Aurum, in Aqua Regia solutum (*Chem.* Cl. BOERH. *Proc.* 205). Illud etenim, ad Sensus nostros, sub Forma liquida, nil fere, nisi Colorem, de *Natura* sua superstes habet; quin, si purissimum, transparet penitus; nec *Naturam* modo Mutasse, sed quasi in nihilum redactum esse, nisi dissuaderet Ratio, Sensus Judicaret. Quum interim idem *Natura*, & omni Dote, Aurum, facili negotio, inde resurgat; Indicio, ut videtur, evidenti, tunc etiam *Naturam* omnino eandem persistere, cum, ad Sensus nostros, maxime

Per-

Permutata, fallaci Forma, apparere consuevit.

§. LX.

Altera Pars §. XL. erat, *Naturam Hum. non posse, vel augeri, vel minui, sed Indivisibilem permanere, omnino eandem, in eodem Homine, ad Mortem usque.* Una enim, eaque ad Mortem usque Inmutabilis, *Natura* unicuique Homini inest; hinc nec potest augeri, nec minui, adeoque Indivisibilis est; ita ut Hominem, post resectum ex. gr. Crus, non minus, ac ante, Hominem esse, aut ante magis, quam nunc, Hominem fuisse, sed *Naturam* in utroque casu Integerrimam perseverare, existimem. Sic multis Partibus Corporis destitui Homo potest, *Natura* ejus nil quidquam Imminuta, vel Divisa; dum a contrario etiam minime augeri potest. Utitur ergo *Natura* Partibus Corporis, ita, ut dum adsunt, suntque bene dispositæ, certas quasdam actiones per eas exerceat; dum vero absunt, vel saltem ineptæ sunt, illas Actiones non exerceat; non quod ipsius Imminuta Potestas iis haud sufficiat; sed quod

quod ea, per quæ actio deberet fieri, deficiant. *Natura* igitur manet, qualis fuerat, æque, ex ſe, actuoſa, ſed aptis, ad Operandum requiſitis, Inſtrumentis deſtituitur; quæ, ſi uſui adaptata reſtituuntur, mox reſumit *Natura* vires, &, conſueta olim Methodo, pergit agere. Quæ Res in Medicis manifeſtiſſima eſt.

§. LXI.

Plurima eorum, quæ (a §°. XV. huc usque) dicta ſunt, de Anima, & Vita, paucis mutatis, æquali jure prædicari poſſe, Contemplanti ſponte apparebit; quod per transennam monendum videbatur. Quin & idem de variis, quæ in ſequentibus occurrent, verum eſt.



DE NATURA HUMANA, CUSTODE CORPORIS.

§. LXII.

Plurimis, iisque inevitabilibus, injuriis expoſitum Corpus facile & lædi poſſet,

set, & destrui, nisi sollicita *Natura* Prospiceret. Sic, quoniam per Actiones, a Vita inseparabiles, omni momento necessario deteritur Corpus, hinc, ut perstet, assiduam Reparationem exigit, quæ non nisi Heterogeneorum usu absolvi potest, quam facile ex his insidiæ struerentur Sanitati & Vitæ, *nisi attentissima, nec unquam sopita, Natura, expositos, in omni Puncto, tam externo, quam interno, Corporis, Vigiles, Nervos, nacta, mira eorundem Sensilitate moneretur, si quid Peregrini, quod nocere posset, adsit? Cujus rei mox ac certior facta est, omnem impendit operam, ut sinistrum illum Effectum avertat* (quod, quomodo faciat, passim in sequentibus elucidabitur); *nec quiescit, priusquam, vel superet ipsa Hostem, vel Devicta cedat, destructa simul Vita.*

§. LXIII.

Hac ratione Cavet, ne quid mali ab INGESTIS Corpori superveniat: quod nunc videamus. *Si Ingesta talia sunt, quæ, vi dati Corporis, commode queant subigi in nutrimentum, aptis dotibus præditum,*

ditum, facile ea fert *Natura*, & hæc porro, requisitam Mutationem passa, placide dimittit interiora versus. *Sin vero mutari ita Ingesta nequeant*, sive ob nimiam Copiam, sive ob suarum Qualitatum Pertinaciam, sive ob Acrimoniam, aliasve, si quæ occurrunt, Causas, non commode feruntur a *Natura*. Sed vel 1°. Succumbit *Natura*, moriturque Homo; uti ex. gr., Distento nimia Ingestorum Copia, sic ut evacuari non possit, Ventriculo; quod in Casu, quem enarrat PLATERUS (*Obs. pag. 439*), factum videtur: nempe, non potest tunc *Natura* expedire rem, limitata ejus Potentia ad rationem Corporis, in quo agit. Vel 2°. Languet *Natura*, non suo, sed Viscerum, Humorumve, vitio, aut Qualitatibus Ingestorum nimis Pertinacibus; ita ut, quacunque ratione, subigendo Vires non respondeant: tunc Glutinosum, Acidum, atque Alcali, Spontaneum generabitur. Gradus est ad præmissum (1°.); tendit enim in Mortem, nisi Ars, si possit, succurrat. Vel 3°. Excitata Siti, allicit primum, dein cogit, ut assumantur Liquida blandiora, & maxime, singulari

 Acri-

Acrimoniæ, ut putridæ, rancidæve, &c., opposita. Est autem dicta Sitis eo major, quo magis Dilutio requiritur, & contra. Sic diluit, temperatque, ea, quæ nimia cæteroquin Acrimonia nocuissent, ita ut jam non noceant: in quod idem collimat, copiosiore Lachryma ex his locis per acrem Stimulum sollicitata (Conf. § XCII). Vel 4°. Vomitu, Alvove, eliminat.

§. LXIV.

Sic *Natura* (nisi, ut in 1°, & 2°, Casu, Succumbat, vel Langueat) Domat, aut Expellit, quæ vi Corporis subigi alioquin non poterant. Sic Cavet, ne Nocivi quid diu in Primis Viis hæreat. Atque ita hic *Prima* quasi *Inspectio* fit; sed rudior tantum; plurima enim hoc loco admittuntur, quæ respuuntur postea.

§. LXV.

Eorum vero, quæ ex Primis Viis jam subierunt Venas, si tales dotes sint, ut aptum nutrimentum subministrare queant, satis facile reliquis Humoribus permiscentur, & sine magno tumultu porro circumferun-

feruntur per Corpus. Nunquam tamen adeo Amica *Naturæ* sunt, quamvis aptissima Nutrimento ingesta fuerint, & Mutationes requisitæ perfectissime iis accesserint omnes, quin, pro eo, quod adhuc semper in se continent, Heterogenei (non enim Assimilatio his locis omnino absolvitur), Vigiles *Naturæ*, Nervos, hic magis adhuc, ut videtur, sensiles, afficiat: unde ea, in Sanissimis etiam, aliquot post pastum horis, Febriculam excitat, majorem, minoremve, pro varia allati Chyli Copia, & indole, maximum subigendo ulterius Chylo Remedium. Hac ratione, nil Alieni, quantumvis exiguum sit, insinuare sese in Corpus potest, quod subterfugiat: sed mox *Natura* omnes impendit Vires, nec desinit, nisi postquam omnino subegerit, eoque, ut Inquilinis omni Dote similes sint, novos jam demum factos Humores reduxerit: tuncque eos, ut sibi, & Corpori, Amicos, fert *Natura*, non prius.

§. LXVI.

Hæc interim (§°. LXV.) utut apta Copia subministrata ad Sanitatis & Vitæ Constan-

ſtantiam abſolute requiruntur, attamen, ſi nimia accedunt Copia, Plethoram, plurimosque ejus, ſæpe lethales, Effectus excitant. Nec, tunc acquieſcere *Naturam*, exiſtimandum eſt; variis enim Viis expellit Superfluum: docent Menſtrua, Hæmorrhagiæ, &c. Hoc modo, Plethoram illam, cujus Ortum præcavere vix poterat, nunc natam, curat, avertitque ſollicitiſſime omne, quod hinc imminebat, Periculum.

§. LXVII.

Adeo, quæ Mutabilia ſunt, per excitatas Vaſorum Viſcerumque vires, & Humorum, jam ante Inquilinorum, admiſtionem, ſubiguntur, fiuntque tandem & ipſa ſimilia Inquilinis. Sic tutus evadit Heterogeneorum uſus; iisque, quod inevitabile eſt, intra Venas admiſſis, præſto adſunt *Naturæ* Media, quibus Domet, & Subigat. Unde *Natura* merito *Sanitatis Conſervatrix* appellari meretur. Si vero dicta Media inſigniter debilitentur, Cacochymiæ, Cachexiæ, & omnismodi, ex his ſequentes, Morbi, propullulant: quorum Malorum Cauſa non in *Natura* eſt, ſed

ſed in ipſo Corpore, ad *Naturæ* Imperium non ſatis obſequioſo, non ſatis valido; ſive id Solidorum, ſive Fluidorum, vitio oriatur, vel quia Nervi Vigiles, male diſpoſiti, *Naturam*, aut non, aut languidius, quam par fuerat, ad agendum ſollicitant.

§. LXVIII.

Vidimus (§°. LXIII. LXIV. LXV. LXVI. LXVII.), quomodo *Natura* agat in Ingeſta Mutabilia. Sed *ſi talia Venas intrent, quæ in Corpore Inmutabilia ſunt, tunc hæc, vel VENENA fiunt, vel MEDICAMINA.* Utrorumque ingreſſum, quantum poteſt, *Natura* conatur avertere. Etenim, ſi acria fuerint, ſenſiliſſima Vaſculorum abſorbentium oſcula ſtimulant; quo ipſo admonita *Natura* mox facit conſtringi hæc, ſicque viam claudi; ſi autem nimis Craſſa, vel Figuræ non ſatis accommodatæ, fuerint, Moles impedit, quo minus penetrent. Non facile ergo hæc, & ſimilia, Venas ſubeunt; quod tamen aliquando contingere, plurima ſunt, quæ confirment. Quid tunc fit?

§. LXIX.

VENENO, forti ſatis, intra Corpus admiſſo, Succumbit *Natura*; in quantum Venenum tale, vel Solida, vel Fluida, vel utraque ſimul, ita mutat, ut Circulationi, adeoque & Vitæ, inepta fiant; unde Corpus Juſſis *Naturæ* exſequendis impos redditur. Neque interim cedit tunc *Natura* Veneno, ex ſe ipſa, ſed ſumma paſſim Conamina, Motusque violentiſſimos, omni modo aſſidue permutatos, excitat; quibus, ſi Robur Corporis, ejusdemque Fabrica, id admitterent, Veneno haud dubie liberaretur Æger; ſed limitatas Vires ſuperat Veneni Pertinacia, vel mutatum nimis Corpus non obſequitur amplius *Naturæ* Imperio. Unde fruſtra ſunt omnes, quos *Natura* excitat, Impetus; quorum tamen tanta ſæpe vehementia, ut magis hi, quam Venena ipſa, Mortem inferant.

§. LXX.

Usque adeo, pro conſervanda Vita, ſollicita *Natura* eſt, ut tantos Motus avertendo Hoſti intendat, qui, ſi & abſolvi, & ferri, poſſent a Corpore, Propoſito haud dubie

dubie sufficerent: nunc autem Moritur Homo, vel quia non sufficit Corpus, vel quia tantos Impetus, sine Destructione, sustinere nequit. Unde nec hac ex parte Culpa in *Naturam* cadit.

§. LXXI.

Dicta (§°. LXIX. & LXX.) non semper obtinent. Venena enim non raro etiam Medicamentorum vices præstant: sic, sumpto Veneno, haud aliud efficacius Remedium est, ac Venenum oppositum: unde *Antidotum* dixere ANTIQUI, non ausi Medicamentum dicere, quum per se æque perniciosum sit, ac illud, cui debellando serviat; quod Medicamentis non ita convenit. Sic etiam Venena, minori Dosi, Medicamentorum usum habent, saltem plurima. Consuetudo Venena quasi Amica *Naturæ* efficit; ita ut ea tandem assumere cogatur Homo; assumat autem, sine ulla noxa, copia subinde incredibili.

§. LXXII.

Alia, quæ Inmutabilia in Corpore asseruimus (§°. LXVIII), MEDICAMENTA sunt. Sic proprie appellantur Talia, quæ

non Destruunt quidem, sed tamen tota *Naturæ* vi, quamvis per omnes actiones Corporis conspirantes in ea agat, Subigi omnino renuunt: si enim Subactio fieret, mutarentur potius, quam mutarent; propius igitur ad alimenta, quam ad Medicamenta, accederent. Medicamenta itaque, in quantum talia, semper in Corpore Heterogenea manent: sed talia *Natura* non patitur (§. LXII. LXV.); hinc Motus majores excitat, eosque tamdiu protrahit, donec, quod Subigere non potest, Expulerit.

§. LXXIII.

Adeoque Medicamenta Effectus obtinent in Corpore, non ut per se Operantur, sed quatenus Heterogenea sunt, *Naturæ* ergo Operam incitant, eaque ratione per *Naturam* in se agentem Corpus mutant. Pauca tamen sunt, quæ propria virtute, sine ullo *Naturæ* auxilio, agunt; hinc etiam *in Cadavera, æque ac in Vivo, operantur* (HELMONT. *pag. 476*). Sed an hæc quidem Medicamenta vocari possunt? De igne saltem, & similibus, potius negandum videtur.

§. LXXIV.

§. LXXIV.

Natura ergo est, quæ agit in morbis, Medicamenta vero *Naturam* excitant, hæcque rursus in Finem requisitum Determinantur a Medico; qui, si talia exhibere medicamina, eaque ita dirigere, noverit, ut inde *Natura* debellando apte malo par evadat, tunc demum ex arte Curis præesse poterit.

§. LXXV.

Patet hinc, Medicamenta, potissimum Interna, agere, quatenus in ea ipsa *Natura* agit, non desistens, priusquam Hostem hunc Finibus suis eliminaverit; omnia enim Medicamenta tandem ejiciuntur e Corpore, aut Corpus destruunt; tuncque Venena fiunt.

§. LXXVI.

Etenim Medicamenta non adeo Innocua sunt; sed veri Veneni locum obire possunt; 1°. Si conspirent cum morbo; 2°. Si nimia Dosi exhibeantur; 3°. Si longo tempore usurpentur. Duo Priora satis constant. Tertium autem de Scam-

moneo ex. gr. obſervatum fuit; cujus exigua Doſis, quotidie, & diu, ſumpta, tarde licet, certo tamen, Necare dicitur; ejusdem interim major longe copia, ubi requiritur, exhibita, egregium Medicamentum ſuppeditat; nimia rurſus nocet (ex 2°).

§. LXXVII.

Hæc autem (a §. LXXII huc usque) Medicamenta, proprie ſic appellanda, reſpiciunt. Exulant hinc ea, quæ, quamvis, per ſe, Alimenta ſint, per accidens tamen, Medicamenti vice fungi, potius exiſtimanda ſunt, quam vera Medicamenta fieri; atque ea etiam, quæ, licet initio, plus, minusve, Corpus mutare poſſint, attamen denique mutantur ipſa, Alimentis quaſi & Medicamentis media: nam, ſerius, ocyus, omnia hæc ſubiguntur in Corpore; quod Medicamenta, ſtricte dicenda, abſolute renuunt.

§. LXXVIII.

Satis nunc videtur actum de *Natura*, quousque, quantum poteſt, defendit corpus, ne quid illi ab Ingeſtis ſiniſtri accidat.

Ean-

Eandem fere Custodiam servat, ratione AERIS: qui, cum probabilissime, qua corpori, tam Externo, quam Interno, applicatur, quasdam Particulas in corpus intromittat, maxime etiam eidem nocere alioquin potuisset. Sunt enim Particulæ illæ, prout quæ ab Ingestis Venas subeunt, Heterogeneæ, &c, ut videtur, vel viribus corporis mutabiles, vel minus. Hinc quoque, Aërem, harum imprimis Particularum causa, Nutrimentum, Medicamentum, vel & Venenum, suppeditare posse, non repugnat.

§. LXXIX.

Quædam proinde Ingestorum, Aërisque, admittit, alia vero respuit, *Natura*. Sic retinet, quæ prosunt, quæ nocent, eliminat, si possit; etenim non patitur quæcunque Nociva esse queant: unde etiam illas, quæ, circumductorum Humorum vi, detritæ sunt Solidorum, Fluidorumque, nimis attenuatas, & jam acres quodammodo, Particulas variis Viis exonerat. *Id enim, quod semel aspernata est, nunquam rursus in verum Civem recipit Natura* (HELMONT, *pag.* 478). Nec suf-

suffert, quod forte ex Fomite quodam, intra Corpus posito, procedit Heterogeneum. *Unde liquet, Naturam Causam esse omnium Excretionum, sive Naturalium dictarum, sive Morbosarum, sive Criticarum; Febrium, tam Intermittentium, quam Continuarum: nec Alimenta, Medicamenta, Venena, paucis, ut diximus, exceptis, talia esse, nisi per Naturam. Quin & hinc* Natura *merito Morborum forte omnium, paucis externis exclusis, &* Causa *dici posse videtur, &* Medicatrix.

§. LXXX.

Post horum Considerationem (a §. LXII. huc usque) non admodum sese commendat, LIBAVIO jam olim ex alio descripta (DOUGLAS *Bibliogr. Anatom. Specim. pag. 208*), TRANSFUSIO. Ita enim Aliena Inquilinis prævalent, nec spes est Subactionis ulla. Cautum, ut videtur, quam maxime fuit, ne magna Heterogeneorum copia simul Inquilinis Humoribus misceretur: Angustia Vasculorum Absorbentium, eorum Debilitas, Remoræ multiplices; Depositio in unum, an-

angustum, debilemque, Canalem Thoracicum, hujus Valvula, quandoque una, quandoque duplex, ad Subclaviam Venam, Sanguine contra premente, profecto docent, parum tantummodo admisceri simul. Sed quanta adhuc illius pars Inquilinis debetur! Transfusione autem quantopere ab hac Norma receditur! Attamen dicit quis, Transfusio videtur contingere, quamdiu Infans Utero Materno includitur. Sed, si hoc fieri statuendum sit, quantum Modus, quo perficitur, a supra dicto distat! Potius ergo Legitimus Sex Rerum, Non Naturalium dictarum, Usus, ac Diæta (VERULAM. *Hist. Vitæ & Mortis pag. 29*), Juventutem, Longævitatemque, adferent.

§. LXXXI.

Quemadmodum *Natura* in Interioribus Corporis non patitur *Heterogenea*, sic & ea amovere nititur, *dum Extrinsecus applicantur*. Docent id Vesicatoria, Sinapismi &c. His vero Externis nisi acriora permista fuerint, Nervis, pro minori ex hinc Vitæ periculo, minus, ut videtur, sensilibus, vel vix, vel plane non,

Agit

Agit *Natura*. Dum vero Talia ſunt, quæ multum nocere poſſent, præſto adeſt.

§. LXXXII.

Multo minus fert *ea, quæ Immerſa ſunt Corpori*: Feſtucam ex. gr. Ligneam, aut ſimile quodcunque aliud. Sed quantæ hinc Turbæ! Dolor, Ardor, Pulſatio, vera omni ratione Inflammatio Topica, producitur: nec ceſſabunt hæc, priusquam alienum illud, vel Arte eductum ſit, vel, Suppuratione ſolutum, exciderit. Hoc fundamento nituntur Setacea, Fonticuli, & ſi quæ ſimilia.

§. LXXXIII.

Numquid horum Symptomatum Cauſa a Figura Corporum illorum potius deduci poſſet, quam quod ipſa *Naturæ* adeo Inimica repugnent? Curatio ex. gr. Herniæ, per Punctum, ut vocant, Aureum, legitimam hanc ſuſpicionem ſuggerit: ſi nempe Filum Aureum ſacco Herniæ apte circumponatur, eoque deinde contorto, Vulneris Conſolidatio tentetur, nunquam id absque Fiſtula ſuccedet: ſed ſi Annulus

lus sit Aureus, similis iis, qui auribus gestari solent, quantum potest, æquabilissimus undique, Vulnus perfecte coire, dicitur; ipso haud dubie Annulo, intra Sinulum circumquaque Callosum, incluso. Id saltem verum videtur, longe minus Nervos à Corporibus Politis affici; hinc etiam *Naturam* multo languidius ad agendum sollicitari.

§. LXXXIV.

Agunt tamen insuper Infixa talia, secundum Qualitates suas, quibus alia magis, alia minus, *Naturæ* Inimica observantur. Sic dantur aliqua, in quæ, vel non, vel vix, adsurgit *Natura*: Globus Plumbeus diu sæpe, sine notabili Malo, circumfertur; quod non Figuræ adeo, ac Qualitatibus, Plumbi videtur adscribendum; eo magis, quia tantum abest, ut in hoc (Plumbum) *Natura* Impetum exercere soleat, ut potius, ad ejus appositionem, jam ante susceptum, dimittat: unde in Scirrhis, potissimum cancrescentibus, tantum prodest! Sopit quasi in affectis Partibus *Naturæ* Impetum.

§. LXXXV.

Quæ igitur, Figura, & Qualitatibus, suis, non adeo Inimica sunt, ea facilius *Natura* fert; si quæ vero, & Figura, & Qualitatibus, peccaverint, in hæc violentissime adsurgit; varia ubique Vehementia, prout eadem magis minusve obtinent.

§. LXXXVI.

Hinc sequitur, *Naturam* omnia Aliena ab Unione cum Corpore excludere. Si autem *Partes, ejusdem Corporis*, vel a Nativitate, vel per Vulnus, *Dissociatæ* sint, *quas cohærere oportuerat*, eas in Unionem admittit; dummodo Crudæ adhuc, & Cruentæ, sint, vel per artem fiant, ut in Labio ex. gr. Leporino. Sufficit Medico, si Separatorum modo appositionem curet, & ab Injuriis Externis nonnihil defendat; reliquum *Natura* absolvit.

§. LXXXVII.

Hæc Concretio non Partes modo, quas Unitas esse decet, nunc Divisas, respicit: sed Quæcunque *Partes, in Statu etiam sano*

ſano naturaliter Disjunctæ, Crudæ, ſi ſibi invicem molliter apprimantur, ſicque aliquamdiu hæreant, concreſcunt certisſime. Patuit hoc Exemplis plurimis, ad Digitos, Labia, Palpebras, &c.

§. LXXXVIII.

Quin & Idem *de Diverſis Corporibus* verum eſt: quod inter Cauſas *Monſtri Excedentis* LICETUS retulit (*Tract. de Monſtris Cap. 20.*), Concretis, prægresſa Excoriatione, Infantibus, quacunque Parte id acciderit.

LXXXIX.

Num igitur Aliena admitti poſſunt in Unionem cum Corpore? Talia ſane posſunt: verum Unio hæc tantum Superficiaria eſt; non fit Corporum, vel *Naturarum*, Permiſtio; ſed hæc Unicuilibet Singularia remanent; & quamvis, in quibusdam occaſionibus, aliqua ex uno in alium forte fiat Humorum Derivatio, hæc, quum parca ſit, & per minima Vascula fiat, nil mali adferet. Confirmatur hæc Sententia Analogice ex Vegetantibus; dum *Germina diſtinctarum Arbo-*

 rum,

rum, Lateribus arctissime constrictis, Terræ imposita, in unum excrescunt Stipitem, ex quo pullulant, inpermistis Fructibus (VERULAM. *Sylva Sylvar. pag.* 255. *Conf.* §. LII). Adcrescere hinc potius, quam Uniri, dixeris.

§. XC.

Sed an *Partem, integre remotam,* rursus concrescere cum Corpore, *Natura* patitur? Negant quidam: id tamen admittitur, posse hoc fieri, si levissime modo etiamnum hæreat (SCHENCKIUS *Obs.* 4. *de Fract. & Contus. Capitis*). Suspicionem certe magnam injicit Vegetantium Inoculatio (§. LII.), quæ, in his, resectum de quadam arbore Surculum, trunco alieno implantatum, læte excrescere, proculdubio demonstrat: hinc, quod majus est, aliena etiam, modo Sana, nec nimium Mutata, fuerint, ex alio pristinam Vitam, Sanitatemque, recipere. Sic Formæ forte quidpiam, Usui certe, vel parum, vel nihil, servire posset Medicus.

§. XCI.

Hactenus Explicatum fuit, quomodo *Na-*

Natura omnem impendat Operam, ut removeat quidquid Inimicum deprehenditur: ſed *Alium adhuc intus Hoſtem alit*, ipſam ſcilicet circulationem ſanguinis; quæ, ut, aliis de Cauſis, amiciſſimam opem contribuit, ita tacite abſumit corpus, hinc, niſi aliunde reficiatur, neceſſario deſtruendum.

§. XCII.

Ergo cogeretur *Natura* cedere; ſed ſtimulat, ut aſſumantur ea, quibus, pro avertenda deſtructione, opus habet. Fames proin, ſitisque, monent, quidnam ſit, quod intrinſecus requiritur; quæ quidem, ut primo leniter modo ſollicitant, ſic ſenſim magis magisque urgent, ac tandem, etiam invitum, cogunt, ut, dum ſuppetunt, adſumat. Fugientem LATONAM, pro aquæ hauſtu ruſticos precari, cogit ſitis; nec propriis artubus parcit inſatiabilis ERISICHTON.

§. XCIII.

Paucis interim, iisque admodum ſimplicibus, contenta *Natura* eſt. Exercitia attamen vehementiora Plura exigunt, &

Validiora; nam majus fit fluidorum, solidorumque, Dispendium; hinc Plus restituendum est, ut maneat, quale fuerat, corpus, nempe sanum; Validiora autem requiruntur, ob Robur viscerum, & vasorum, mollia, tenuiaque, ipso fere momento difflantium. Consuetudo eamdem Legem ponit. Adsueta scilicet *Natura* sic sensim disposuit corpus, ut aptum sit, magnam ex. gr. alimentorum copiam subigere; hinc tamdiu appetit homo, donec requisita Quantitas ingesta fuerit; quæ, nisi subministretur, nimia mutatio inducitur iis, quæ intra corpus adsunt; in quæ tunc omnes quasi actiones convertuntur. Nocet igitur subita nimis consuetudinis mutatio, tam in sanis, quam ægrotantibus, sive copiam ingerendorum, sive Qualitates, respicias. Sic ætas, sexus, robur, & similia, non minorem præmissis differentiam adferunt.

§. XCIV.

Illa ergo Diæta erit Optima, quæ, quoad ingestorum Qualitates, Robori, quoad copiam, Dispendio facto, respondeat.

deat. Cavendum, quantum potest, ne consuetudo Dominium occupet: assidua igitur Variatio multum proderit.



DE NATURÆ HUMANÆ RECESSU IN MORTE.

§. XCV.

Solida, Fluidaque, Corporis assidue renovando, restituendoque in eundem Statum, in quo ante fuerant, repulsis, quæ nocere potuerant, Omnibus, constantem sanitatem reddit *Natura*. Unde ex bona Diæta Æternitas quasi homini promittitur. Sed Vita ipsa adeo sensim Vasorum Robur & Resistentiam auget, ut tandem, Impetu moventis Cordis, dilatari amplius non satis possint: hinc obruitur Cor, & Mors fit pure Senilis: ita ut, inevitabili Lege, commune Iter ingrediatur omnis Caro. Neque hoc *Natura*, quantumvis, ARGI instar, quaquaversum prospiciat, valet avertere.

§. XCVI.

Dum moritur homo, uti ſimul acceſſerant (§. XXXIX.) *Anima*, *Natura*, & *Vita*, ita etiam *Recedunt ſimul*. Recedit autem *Natura*, vitio, ut videtur, corporis, non amplius obſequioſi, ipſa, ex ſe, ad ultimum usque, æque actuoſa. Languor igitur, ſenſim auctus, minime *Naturæ* adſcribendus eſt, ſed Impedimentis, in corpore genitis, quibus ſalutaris *Naturæ* Impetus iners redditur.

§. XCVII.

Rari ſunt, qui morte hac pure Senili obeant: Plurimi, ex ſuſcepto morbo, ante Tempus pereunt: hinc imprimis, alii citius, alii tardius, moriuntur.

§. XCVIII.

Vix interim, niſi poſt ſummas anxietates, motusque, omni ratione permutatos, violentiſſimosque, Homo perit. Nimirum nititur etiamnum *Natura*, ſi removere poſſit Vitæ Hoſtem: in Apoplexia tamen, Summo Senio, ſimilibusque, placida mors Vitam terminat: Ratio, ut vide-

videtur, ex præmissis erui haud difficulter poterit.



DE NATURA HUMANA MEDICI MAGISTRA.

§. XCIX.

Diximus (§. LXXIX.), *Naturam* Omnium forte Internorum, Externorum plerorumque, morborum causam esse. Ut vero producit, sic & sanat; juxta illud HIPP. (*pag. 1184.*); *Morbis Naturæ medentur.*

§. C.

Morbos ergo producit Natura. Sed neutiquam sponte sua: ex se enim talis est, ut Actiones omnes, ex Creatoris Mandato corpori impositas, uti semel cœpit, ita æquabilissime semper perficiat. Non igitur directe ex ipsa *Natura* Morbus fit; sed, quatenus ea, adfectis in corpore Nervis, irritatur, quacumqne demum

mum ratione id contingat. Tunc etenim statim *Natura* Jubet, istos exerceri Motus, quos, Subigendo illi, quod afficit, vel Expellendo, aptos plerumque esse, observamus. Hoc Jussum dum Corpus promptissime exsequitur, aliæ, ac in Sanitate solebant, Actiones fiunt; læduntur igitur; ergo & morbi prodeunt.

§. CI.

Medicatrix Morborum Natura est. Nec tamen Curat Morbos, nisi quatenus per eosdem removet Causam, cujus ratione Morbum excitaverat. Morbi enim non videntur nisi *Naturæ* Instrumenta, per quæ agit in illud Peccans, sive Interne, sive Externe, applicatum; quod dum semper Nocere allaborat, sollicita *Natura* omnem intendit Nervum, ut avertat id, quod hinc imminebat, periculi, Sanitatemque restituat.

§. CII.

Quæ quidem Morbis (si ita loqui fas est) *Primariis* fere tantum conveniunt; Cujusmodi sunt, Tussis, Sternutatio, Vomitus,

mitus, Alvi Dejectio; &, maxime notandæ, Omnes Febrium Quarumcunque Species; quæ nihil aliud esse videntur, quam aucta, per *Naturæ* Imperium, Vitæ Vis, magis, proportionaliter, minusve, supra Consuetam elata, prout ipsum illud, cujus ratione fit, postulat. Unde Omnes, a mitissima Ephemera, ad ardentissimam usque, pronascuntur.

§. CIII.

Hac ratione *Natura conatur Expellere tædiosum Hospitem: sub quo nisu, producuntur Fructus, & Symptomata; Sopores Calores, Frigora, Dolores, Vigiliæ, Inquietudines, Debilitates*, &c. (HELMONT. *pag.* 475). Quæ proinde non sunt nisi Sequelæ Nisus illius, quem *Natura* efficit, ad hunc Nisum, ex certa, Corporis, Humorum, ac Materiæ Morbosæ, Constitutione genitæ, non ab ipsa cæterum *Natura* Intentæ.

§. CIV.

Quod idem de Omnibus fere aliis verum est, quæ, dum *Natura* Scopum suum,

 ob

ob easdem Causas (§°. CIII), assequi non potest, Morbo *Primario* superveniunt. Ex. gr. Ingeritur ingens Copia acris Calefacientis cujuscunque; Hoc magna Parte subit Venas; mox, Nervis admodum stimulatis, monita *Natura* Febrim excitat violentissimam, qua conatur Nocivum illud Expellere: hic ergo est intentus *Naturæ* Scopus Primarius: sed hoc non ita facile absolvitur, & quia nimis Inimicum est quod incitat, & quia stimulata adeo Vasa constringuntur, atque ita Expulsionem impediunt: accedit igitur Inflammatio, Morbus hac ratione *Secundarius*, quem *Natura* non Intenderat.

§. CV.

Horum igitur (§°.CIII.CIV), Omniumque similium, Morborum Causa dici *Natura* non meretur: nec tribui his possunt ea, quæ (§°.XCIX.C) memoravimus, nisi remotius tantum: ea etiam, quæ §. CI. exhibet, minus iisdem conveniunt. Non enim hi Instrumenta *Naturæ* sunt, ut illi; neque per hos unquam amovetur Mali Causa; sed, ex opposito, novam quasi Excitantem Causam efficiunt, qua irri-

irritetur *Natura*, ut Novos in horum Cu-
ram Morbos dirigat: quod sæpe felicissi-
me exsequitur.

§. CVI.

Profecto, si quis Morbos acutos exami-
net, videt clarissime, solam sæpe *Natu-
ram* omne hic Punctum absolvere. Re-
solutiones, Crisesque, id evincunt. Haud
tamen negaverim, aliquando, & sæpe
quidem, adhibita in ejusmodi Casibus
prudenter Remedia *Naturam* insigniter
Juvare posse. In Chronicis autem, De-
bilitas plerumque Opem exigit, juxta
Naturæ Ductum adferendam. Externos,
si impedimenta nonnihil removeris, aver-
terisque Aëris injurias, *Natura* passim
ad Sanationem perducit, nisi ipsa eorum
indoles Curam omnem respuat.

§. CVII.

Natura ergo est, quæ Operatur in
Morbis, & quæ Morbos superat, sicque
Sanitatem restituit, subacto, vel Expulso,
eo, quod Nocuerat. Cui tamen negotio
uti sæpe sibi sola sufficit, ita & Deficit
fre-

frequenter, Corpore non satis conspirante, aut Mali magnitudine nimia.

§. CVIII.

Hinc fit, 1°. *Naturam quandoque sibi Relinquendam esse.* Scilicet, dum ex ipsa ejus Actione prævidetur restituenda brevi sanitas. *Ars Medica ab eo, quod molestum est, liberat, & id, ex quo quis ægrotat, auferendo, Sanitatem reddit. Idem & Natura, per se, facere novit* (Hipp. *p. 345*). Præstat tunc, nihil agere Medicum, sed totum Opus *Naturæ* committere: Agendo, sæpe *Naturæ* impedimento sumus: Præcipitando autem, Ægros non raro in Mala sæpe lethalia conjicimus. Id, hoc in Casu, Unicum forte incumbit Medico, ut Diætæ, Aërisque, Curam gerat, & eorum, quæ circa Ægrum aguntur: sic totam rem sensim *Natura* expediet.

§. CIX.

2°. *In aliis Casibus Deficiens Natura Juvanda est:* ubi agit quidem *Natura*, & optime agit, Mali Causam, per certas quas-

quasdam, vel Naturales, vel Novas, Vias, amovere tentans; sed ita, ut, Corporis Viribus, Materiæ Morbosæ respectu, debilioribus, sola haud sufficiat. Medici ergo tunc erit, datis Remediis, in eumdem collimare Terminum. Exempla in Crisi, aliisque, occurrunt manifestissima.

§. CX.

3°. *Sæpe Temperanda est Naturæ Agentis Vehementia*; dum Furit nimis. Quamvis enim *Natura* nunquam solito plus agat, quam requirit Causa, quæ eandem in hos impetus concitaverat (§°. C. CII); hinc, hoc respectu, nunquam agat nimis; attamen, relative ad Corpus, in quo Operatur, nimis quandoque Furere, dicitur, dum tanta Motuum violentia insurgit, ut ab hoc, Vita incolumi, diu sustineri nequeant. Artis ergo est, actiones has eo reducere, ut & scopo *Naturæ* sufficiant, & caveatur, ne destruant. Res in Inflammatione, cui Febris nimis Valida comes est, deprehenditur: quo proinde Casu, adlaborandum est, ut Febris evadat Mitior; sicque procuretur Materiæ

riæ Resolutio, vel Expullo, lentior quidem quodammodo, ast multo tutior.

§. CXI.

4°. *Si Male Agit, Corrigenda.* Hoc ex. gr. accidit, dum in Acutis, per Metastasin, Materia Morbosa Mota, ab Ignobilioribus, ad Nobiliores Partes amandatur: quæ, si, a Nobilioribus, ad Ignobiliores transfertur, laudatur *Naturæ* Actio: hæc ergo, ex se, Bona quidem est; sed Mala quandoque fit, ratione Partium, in quas fortuito terminatur. Facile hinc patet, quid Agendum sit: nempe, ubi Materiem, nondum satis Coctam, Moveri, atque ad Viscera, Vitæ potissimum magis necessaria, Viam affectare, cognitis Indiciis constitit, mox omni adnitendum Ope, ut inde avertatur versus ejusmodi Partes, quibus minus Vitæ periculum inferet.

§. CXII.

Contingit etiam 5°., *Naturæ Actionem penitus Destruendam esse*: ubi, Actionem hanc necessario in Perniciem ituram, prænovit Medicus. Hæc igitur Actio, si futura, quantum potest, Arceatur; si præsens

ſens adſit, Sopiatur in initio; progreſſum Malum vix ullam amplius Medelam patitur. Sic Scirrhum removere, ſæpe molitur *Natura*; ſed hic, ſi parum modo confirmatior, nequaquam cedit; verum, ad hunc *Naturæ* Impetum, exaſperatur, fitque Cancer, certo, ni Ferrum integerrime auferat, Lethalis.

* *Natura* in prima Creatione longe Perfectior fuiſſe videtur, utpote ad Immortalitatem comparata; poſt Peccatum autem, Novo Imperio, eamdem ad deteriorem Conditionem reſtrixit Ultor Deus; cum dixit; *Morte Moriemini*. Ex Novo hoc Imperio, non Mors ſolummodo videtur procedere, ſed & quod *Natura* quandoque ipſa, in quibusdam morbis, ad demandatæ ſibi Machinæ Deſtructionem ruat. Nunquam interim directe id Intendit; ſed Eventus ille ob morbi indolem accidit. Sic Inflammata Mamma non raro Sanatur, ſimili plane *Naturæ* Artificio, quo Scirrhoſa Cancreſcit, & lethalia deinde Symptomata excitat: quæ igitur, non adeo ipſam *Naturæ* Actionem, ſed malignam morborum

rum indolem, arguunt. *Lex & Natura, quibus Omnia conficiuntur, non consentiunt. Legem siquidem ipsi sibi ipsis Homines statuerunt, Naturam vero Dii. Quæ igitur Homines statuerunt, ea nunquam eodem modo se habent, sive recta, sive non recta, sint. Quæ vero Dii statuerunt, ea Semper Recte habent* (HIPP. *pag.345.*) NATURAM igitur, a Diis constitutam, EX SE IPSA, NUNQUAM NON RECTE AGERE, *Hippocrates* voluit: quod sane ubique verissimum deprehendimus.

§. CXIII.

6°. *Non raro requiritur, ut Ars, efficacissimis Mediis, sola quasi Cogat Malum.* Sic, ingestis Venenis, per Antidota id perficitur; maloque *Naturæ* Viribus indomabili penitus, adhibita, si fieri potest, Chirurgia; Calculus Vesicæ Urinariæ, concretus jam, & solidus, Sphacelati omnino Artus, & similia, haud aliter sanari poterunt.

§. CXIV.

Sic, sive *Natura* Sola, sive Sola Ars, ad Nor-

Normam *Naturæ*, & Rationis, ordinata, ſive Utraque conſpirans ſimul, Sanat. Si his non ceſſerit malum, lethale erit.

§. CXV.

Colligimus ex dictis, *Naturam* Sectandam eſſe medico, Juvandamque, ſi actionem ejus, Comparatione Similium, veriſimiliter Salutarem fore, cognoverit. Sin vero Finem exhinc infauſtum prævideat, actionem *Naturæ* ita mutare conetur, & regere, vel & ipſe agere, ut Effectus naſcatur, qualem, in ſimili Caſu, a *Natura* Sola productum, pulchre ceſſiſſe conſtitit. Ab ipſo igitur *Magiſtræ Naturæ* Exemplo Officium diſcet medicus, Quidquid agat: neque artem Dominam *Naturæ* oportet eſſe, ſed ancillam.

§. CXVI.

Prudens denique ſit medicus, ne facile, quaſi male agenti, *Naturæ* renitatur, perturbeturve, dum Inſolita conſpicit. Sed, ſi minus exacte agere, exiſtimet, Succurrat caute: Turbare, quantum poteſt, ſemper caveat. Mira ſane *Natura*

 per-


perficit, quæ forte non assequimur. Suppressa ex. gr. Menstrua quam diversis sæpe Viis ad stuporem eliminat! Facta Evacuatione, nil læsi superest in Corpore, omni tunc ratione sanissimo. Sua tamen Periodo redibunt hæc Omnia. Qui Observatores relegit, ubique profecto Incomprehensibilia *Naturæ* artificia summopere admirabitur.

§. CXVII.

Unde forte nimis Dominari medicus censendus est, dum, in quibusdam morbis, Observatos *Naturæ* Instinctus plane repudiat; quum tamen, invito medico, ingentem ejus, quod expetiverant, Copiam adsumentes Aegri non raro Sanati perhibeantur. Profecto videmus, *Naturam* semper fere ea Petere, quibus Indiget: ubi Acrimonia, vel Siccitas, adest in Corpore, Sitim excitat; dum Cibi requiruntur, Famem facit; Lassum ad Quietem, Somnumque, allicit, cogit; ad Frigus, Calorem, Frigus vero Calidis, commendat. His itaque *Naturæ* Stimulis ignarum potius (quamdiu nescitur

Cau-

Causa), cum Prudentia tamen, obtemperare decet medicum, quam semet omnino opponere, per Experimenta convictum, laudabilem in Brutis Effectum nasci, dum Hæc id, pro morborum suorum Cura, Cæco Impetu, adhibent, quod *Natura* ipsis suggerit, Remedii.



EPILOGUS.

Hæc ſufficiant. Protractior Sermo forte moveret Nauſeam. Deſino igitur: id tantum rogans, ut, ſi qua in re Diſſertatio hæcce defecerit, eandem B. L. amice ſubſtituat: Sin vero non arriſerit, ſciat, non Omnes eadem Ratione Cogitare: Si quæ denique, nimis forte Generaliter poſita, deprehenderit, non facile Univerſale aliquid, ſine ulla Exceptione, in medicis potiſſimum, adſtrui poſſe, ſecum reputet. His Fiſus, quæ Scripſi, qualiacumque fuerint, Offero.

FINIS.



GUNTH. CHRIST. SCHELHAMMERI,

M.D. & P.P. Primarii in Academia Kilonienſi, Seren. Duc. Cimbr. Gottorp. Archiatri. Academiæ Cæſareo-Leopoldinæ Naturæ Curioſorum Adjuncti, & Recuperatorum in Italia Socii.

EPISTOLICA DISQUISITIO

DE

PULSU

ANNO MDCXC. HELMSTADII EDITA

NUNC

DENUO HIC SUBJUNCTA

UBI

OMNIS EJUS RATIO

AD

MECHANICÆ NATURALIS


LEGES

TRADITUR

ET SIMUL

VARIORUM DE PULSU DOCTRINÆ

EXAMINANTUR.



DE PULSU.

§. I.

De pulsu plurima dubitari possunt:

1) *Quis eum repererit, & quo tempore innotuerit?*

2) *Quid sit, & quæ ejus natura, quæve ac quam varia ejus ratio?*

3) *Quid indicet, & quæ sciri de morbis per illum possunt?*

Primum non adeo magni momenti est, scitu tamen jucundum & elegans, illis præsertim, qui inter Medicos χαρίεντες

men ſuum profitentur. Et quoniam his maxime pulſum pernoviſſe neceſſarium eſt, quippe qui unice per omnem vitam circa humanum corpus verſantur, ejusque habent curam, nullum eſt dubium, iis primum innotuiſſe. Non autem exiſtit hodie in iis auctor HIPPOCRATE COO antiquior, neque excellentior, ut omnibus convenit: adeoque annon is etiam illum habuerit cognitum, ſtatim hic quæritur. Quod non modo negari non poteſt, quum in ſcriptis ipſius aliquoties ejus mentionem faciat (a): verum etiam eum primum vocem *Pulſus* (σφυγμȣ̃) arti intuliſſe, docet GALENUS (b). A quo

(a) In *Coacis prænotionibus* meminit Pulſus in Collo, in febribus obſervandi; itemque in *Libro de Diæta* ait: φλεβαν διαφυζιες, καὶ διαπνοης πνευματος καθ' ἡλικιην καὶ συμφονα, καὶ διαφονα καὶ νοσȣ, καὶ ὑγιεινης συμεια cet. De morbis mulierum, quum Lochia ſubſiſtunt, dicit: Σφυγμοι βληχροι και ὅτε οξεις, αλλοτε ἀιρομενοι, αλλοτ ελυποντες. Imo in febribus acutiſſimis, IV. Epidemicorum, *pulſum eſſe magnum & frequentem*, πυκνοταλȣς καὶ μενιςȣς, teſtatur. Quæ loca adducit JOH. FLOYERS in Pulsvvath. Inſpice etiam BELLINUM circa finem de pulſibus, ubi plurima loca ex HIPPOCRATE cumulavit.

(b) De Differentiis Pulſuum Lib. I. cap. I. *Omnium*

quo dissentit LUDOVICUS MERCATUS, Patavinus Medicus (c), ubi: *scripsit* GALENUS, *veteres ante* HIPPOCRATIS *ætatem pulsus nomen ignorasse; sed ut mea mens est, non frequenter eo usos fuisse; tempore tamen* HIPPOCRATIS *invaluisse magis, & ob id illi fuisse tributum primo, & sic dicimus, omnium primum illud scripsisse.* Sed nulla ratio est, cur MERCATO potius, quam GALENO credamus in re, de qua hic longe certius testimonium adferre poterat, iste nullum. Propior enim GALENUS istis temporibus poterat veterum scripta legisse, & radices eorum inspexisse: quod sane non licebat MERCATO, qui id mera conjectura sic putat. Neque ulla caussa erat GALENO, quare id falso veteribus adfingeret. Est potius verosimile, ut alia naturæ arcana, ita & pulsum Medicos per ista initia latuisse, aut non satis fuisse perspectum, etiamsi perciperent nonnunquam, quod intus palpitaret. Neque

nium inquiens, quorum ad nos memoria pervenit, princeps (primus) *arbitror nomen pulsus* HIPPOCRATES *litteris prodidit.*

(c) De pulsibus Lib. I. tr. I.

que enim fas erat, incisis corporibus viventibus, scrutari, quid esset, ut proprio nomine insigniretur, nec ulla poterat ipsis incidere suspicio, arterias ita pulsare, quas nihilo magis habebant perspectas.

§. II.

HIPPOCRATIS vero quantumvis tot ac tanta existent testimonia, longe illi rerum Medicarum, corporisque humani peritioris non tamen plenam, sed valde imperfectam, de pulsu scientiam fuisse, ipsa, quæ laudavimus, loca recte expendentem facile possunt persuadere. Unde GALENUS etiam eodem loco eum, *quamvis non videatur ignarus artis, quam complectitur, tamen hanc artis partem reliquisse intactam*, ait, *neque cuilibet arteriarum motui hoc tribuisse nominis.* Nimirum nec unde proveniat venarum, ut ait, pulsus, perspectum habebat, &, si cordis structuram non ignoraret (d), nec duplex esse earum genus, pulsabile, & placide labantem sanguinem vehens, ipsi ignotum fuisse videtur: neque dubium

(d) vid. Librum de Corde.

bium est, quibusdam antiquis aliquando
obvium factum, qui tamen, quid esset,
nescirent, adeoque nomen ipsi imponere
nondum poterant. Dignum quoque no-
tatu, HIPPOCRATI neque in Aphoris-
morum opere, neque in prognosticis, in
quorum utroque de morbis acutis exa-
cte & diligentissime tradidit, pulsus nus-
quam mentionem fieri. In epidemicis
vero (e) scribit quidem: *Si in hypochon-
driis pulsus insit, perturbationem aut deli-
rium indicari*: at ibi naturali lege pulsus
numquam est, nisi quum forte inflamma-
tio hepatis subsit. De cetero pulsum non
nisi paucis in locis ac partibus corporis
eum observasse, animadvertimus, in qui-
bus carpi nulla fit mentio, sed colli, capi-
tis (interni reor in cerebro) temporum
& brachii, ubi dicitur esse signum Maniæ,
quod forte in carpo fuit, ubi admodum
est vehemens: temporum vero Libro de
Flatibus. Sed ibi tam obscure loquitur,
ut satis adpareat, quam fuerit tenuis ei
pulsus cognitio: cum existimet, ab ob-
structis a flatibus arteriis eum provenire;
ut

(e) II. Epid. Εἰδὲ καὶ σφυγμὸς ἐνείη ἐν τῷ ὑποχονδρίῳ
(FOESIUS in præcordiis reddidit.)

ut hinc adpareat, non temere GALENUM prodidiſſe, non cuilibet arteriarum motui id nominis tribuiſſe.

§. III.

Poſt HIPPOCRATEM PRAXAGORAS & HEROPHILUS potiſſimum doctrinam de Pulſibus excoluerunt: ſed de his nihil hodie reliquum nobis eſt, præter ea, quæ GALENUS inter ſua conſervavit. HEROPHILUS autem ſubtilius, quam opus erat, doctrinam illam coluiſſe accuſatur, *in muſicos pedes iis deſcriptis, per ætatum gradus*, ut loquitur PLINIUS: itaque etiam *nimiam propter ſubtilitatem deſertus fuit*, eodem memorante. Operæ pretium forte eſt, ipſum audire: nam forte aliquid in eum locum monendum eſt. Sic ait (f): *Arteriarum pulſus in cacumine maxime membrorum evidens, index fere morborum. In modulos certos, legesque metricas, per ætates, ſtabilis aut citatus, aut tardus deſcriptus ab* HEROPHILO, *Medicinæ Vate,*

(f) Lib. XXIX. cap. 1. & Lib. XI. cap. 37. in fine.

*Vate, miranda arte, nimiam propter sub-
tilitatem desertus: observatione tamen
crebri aut languidi ictus gubernacula vi-
tæ temperat.* Ubi id primum animad-
vertendum est, PLINIUM perperam &
obscure transtulisse hæc ex græco, in
quo exstat ἐν τοῖς ἄκροις, *in extremis par-
tibus corporis*, non autem in *cacumine*,
quod nemo intelligit: ex quo PLINII
scribendi ratio simul patet, & quam non
semper, quod in græco est, bene reddat.
Ex quo colligitur, & sequentia, quæ iti-
dem plana non sunt, sed intricata, eodem
vitio laborare. Videtur autem illa de-
scriptio in modulos legesque metricas de
rythmo intelligenda, de quo postea vide-
bimus. Quod si ita est, profecto non
ineptum quidem, attamen an Natura hos
modulos servet, merito dubites, etsi pos-
sint occurrere. Itaque non videtur ne-
cesse, ut per omnia hic sectemur Musi-
cos, aut metra. Nam ubi pressa est Na-
tura, & sub jugo, non potest regulas cer-
tas ac leges observare. Recte itaque hoc
loco HEROPHILUM posteriores dese-
ruere. Interim crebrum & languidum
pulsum male etiam PLINIUS componit:
cre-

crebro quippe rarus, languido fortis & robustus potius opponitur. Sed redeamus in viam, dicamusque potius, multos nihilominus HEROPHILUM secutos, Sectam Herophileam constituentes. Nec dubito, ipsum GALENUM multa de pulsu ab HEROPHILO esse mutuatum; qui ita postmodum artem illam excoluit, ut nemo quicquam potuerit addere: quin potius idem, quod HEROPHILUM, fatum ipsum mansisse, infra adparebit, multaque nimis ab eo subtiliter nimium disputata rescindenda esse videntur. Quod ut adpareat, ipsius pulsus natura potius, quam auctorum sententiæ excutiendæ sunt: ad quod nunc accingimur. Sit autem

DEFINITIO I.

Pulsus, qui in partibus corporis quibusdam, Carpo maxime, admotis digitorum apicibus, aut pollice percipitur, est palpitatio arteriæ, repetitis perpetuo vicibus in eos momentaneo quodam motu incurrens.

Tametsi & alibi percipiatur pulsus, in tem-

temporibus maxime, regione ipſa cordis, in collo, ubi arteria Carotis externa aſcendit, ſæpe & oculis cernenda; tamen Medicis Carpum potius, quam alias partes tangere uſu eſt, propter opportunitatem loci, qui hic nunquam non obvius eſt, quum alibi veſtitus impediat, alibi prohibeat pudor. De his omnibus convenit, ut non opus ſit pluribus. Interim evolvi poteſt GALENUS (g).

DEFINITIO II.

Palpitatio eſt motus, quo aliquid obtectum intus attollitur & remittit.

Quum itaque pulſus ſit palpitatio arteriæ, quæ in locis, cute tectis, admotorum digitorum pulpam ferit, palpitatio autem ſit motus quidam, ex quonam motus genere, & quid ſit, quod ita ſe moveat, & palpitet, primo loco definiendum erat. Compertum autem jam dudum id nobis per anatomen.

PRO-

(g) De Differentiis Pulſuum Lib. I. cap. I.

PROPOSITIO I.

Motum hunc esse arteriæ, subsultorie ita in digitos incurrentis.

Et hoc quidem iam inde ab antiquissimis temporibus notum, ac forte HEROPHILO primum deprehensum, vel Præceptori ejus, PRAXAGORÆ, vel ÆGIMIO VELIENSI, indeque ad reliquos translatum perpetua traditione.

PROPOSITIO II.

Motum hunc arteriæ non esse proprium, sed ab impulso a corde in ejus cavitatem sanguine pendere.

Hæc quidem assertio jam olim ab antiquissimis usque temporibus controversa fuit. Legimus enim ap. GALENUM (h) Praxagoram modo nominatum, & Photinum asseruisse, arterias propria virtute moveri: quos ibi refellit Pergamenus, & facultatem istam ipsis a corde communicari statuit; non quod immittat sanguinem, sed quod arctissime cum eo arte-

riæ

(h) *Libr. XVII. de Placitis Hipp. & Plat. c. 7.*

riæ connectantur, eo modo, quo tremorem corporum videmus per continuatas vibrationes ad finem decurrere. Quod ita GALENUS credere inductus est, quia sanguinis motum ignorabat, viderat autem, sectam arteriæ partem, vel filo ligatam post ligaturam non amplius pulsare. Tertiam sententiam vir incomparabilis GUILIELMUS HARVEUS invexit, moveri a sanguine. Omnium vero antiquissimam illam recoxit nuper THOMAS WILLIS (i) Arteriæ fibras circulares carneas adscribens, quibus moveatur. Verum cum has fibras carneas præter ipsum conspexerit nemo, neque ego tam lynceus sim, ut in nervosa membrana, vel (quod jubet fieri WILLISIUS) postquam in calidam etiam aquam injecta est, discernere eas queam, possetque iis sine omni incommodo natura carere, ut jamjam patebit, merito exploditur inanis & nimis sollicita isthæc ejus sapientia.

Non moveri ergo ex se arterias plane constat, idque binis præterea robustissimis argumentis ulterius firmatur, quorum

(i) *Pharmacia Rationalis Part. I.*

rum alterum est meum: Quidquid in corpore fibra musculosa destituitur, id non habet in se vim sese movendi. Nam præter hanc nullum instrumentum motus natura animalibus concessit: tali autem manifesto arteria destituitur. Alterum a Galeno mutuo acceptum, & relicto corde, sanguini aptatum: est autem tale: Quicquid fluido quodam impulso, simili prorsus ratione cum illo pellitur, eo sublato, tali impulsu caret, restituto, in eum restituitur, illi non potest aliunde, quam ex hoc fluido motus iste accidere. Contingere autem hoc in arteriis non Galeni tantum experimento discitur, sed tam est manifestum, vt languidius etiam contracto corde, ita ut sanguis fortiter allidi arteriæ non possit, nullus pulsus sentiatur: quod iamdudum laudato quoque HARVEO est notatum (k). His accedit, quod citra ullam arteriarum propriam actionem tam diastole earum, quam systole accidere queat: prout sequente propositione ostendetur. Nulla ergo est fibrarum istarum necessitas, imo nullus usus:

(k) *de Motu Cord. & Sangu. cap. 3.*

usus: nihil autem frustra natura constituit. Quæ omnia convellendo nov-antiquo illi WILLISII dogmati abunde forent idonea, nisi inspectio rei veritatem sola patefaceret.

PROPOSITIO III.

Habet itaque sanguis se ut instrumentum, arteria ut mobile, seu motum, cor ut agens primum, & præcipuum.

Discendum itaque nobis primum erit, & perquirendum, quid sit arteria, tum, quomodo sanguis pariter & cor illam agitent. Quibus perspectis, ex legibus mechanicis erit is explicandus; quæ unica est in talibus ad scientiam via.

PROPOSITIO IV.

Arteria est corpus molle, tensum tamen, indeque flexile, resiliens.

Id quod ad sensum patet, & prius a GALENO etiam notatum est (l), ubi sic per Linacrum interpretem loquitur: *Jam ex*

(l) *Lib. de Usu Puls. c. 5.*

ex eo quoque inventionis difficultas oritur, quod post mortem non perinde ut venas, sic etiam arterias in se recidere videmus. Illæ ut primum vacuæ sanguine sunt, prorsus in seipsas sidunt, ita ut superna earum tunicæ pars cum inferna committatur, arteriæ semper dissidentibus cernuntur partibus. In quam rem elegans, quod sequitur ibidem, dubium afferre supersedeo, etsi legi mereatur. Sed & posterius, quod mireris, eidem perspectum, ab animo tamen occupato neglectum & prætermissum est. Locum deinceps adferemus, contenti monuisse interim, quod ipsum ex priori sponte consequitur. Quia enim est mollis arteria, necessum est etiam, sit flexilis, cedatque irruenti: tensa vero etiam cum sit, simul esse resilientem oportet: ita enim exigunt naturæ leges. Et vero ita esse, ad oculum patet, dissecta quavis magna arteria, quæ vel in rotunditatem flexa, vel in latitudinem explicata, nunquam non resilit, & ad canalis formam redire illico nititur. Unde patet, etiamsi fibris circularibus carneis essent instructæ, ad WILLISII mentem, inutiles tamen eas fore, cum

cum rigida ejusmodi corpora in angustiorem formam cogi, comprimive non possint, nisi eodem, quo stringuntur, momento simul extrahantur in longitudinem, quod in arteria fingere, nimis absurdum est.

PROPOSITIO V.

Sanguis est corpus fluidum, a calore plurimum expandi, eo-ve cessante, in se considere aptum.

Hoc ita se habere, vel oculorum fides quemvis docet, qui turgentes in extremis, ubi magis conspicuæ sunt, venas, si incalescant, intuetur, quæ ex adverso refrigeratæ, non minus, ac si magna sanguinis pars subtracta esset, contrahuntur. Tanta enim hæc est diversitas, ut calamum exæquantes scriptorium, mox filamenta referant, nulla interea contingente evacuatione sensibili. Hujus asserti usus in pulsus magni demonstratione patebit: interim hic obiter meretur notari, quod ex dictis fluit: venas scilicet non minus, quam reliquas partes membranaceas dilatari & sponte constringi idoneas, sanguinis

guinis refluxum haut parum compressione sua promovere.

PROPOSITIO VI.

Cor est musculus sui generis, in id conditus, ut perpetua vicissitudine recipiat sanguinem & expellat, in cujus contractione, parietibus undique ad se accedentibus, thalami ejus, ejecto omni sanguine, evacuantur, laxatione facta implentur.

Quæ propositio, plura licet contineat, nemini tamen non artis perito ignota aut obscura esse non potest. Omnia enim ista cum admirabilis idem HARVEUS, tum & LOWERUS certissimis rationibus evicerunt, a quorum placitis ne latum quidem unguem recedo, musculum sui generis asserens: structuram enim spectavi, quæ talis equidem est, qualis nullius alterius musculi occurrit.

His, tanquam certis & indubitatis principiis, quæ nobis sint loco definitionum, stabilitis, quo constet, quid singula agere vel

vel pati idonea ſint, ſubjungamus jam axiomata quædam, ex intimis naturalis illius mechanicæ legibus depromtis, quibus cognitis, demum de pulſus natura, ſi non omnia, pleraque ſaltim exactiſſime conſtabunt. Et primum quidem id certum & indubitatum arbitror:

AXIOMA I.

Cum pulſus ſit motus, quicquid de motu in univerſum aſſeritur, id etiam de pulſu concedi oportere: quicquid vero de illo nequit affirmari, nullo etiam modo huic eſſe adſignandum.

Quod ſane in propatulo eſt omnibus, vel ex Logicorum notiſſima illa lege, qua docent, omne id, quod de genere dicitur & affirmatur, etiam de ſpecie, ſub eo comprehenſa, ſecure credi poſſe, & contra. Et eſt quidem hoc natura notum, nec facile eos, qui literis vel tantillum navarunt operæ, poteſt latere: adeoque de motu quoque admittendum eſſe, nemo poterit dubitare.

Cum autem motus plurima ſint gene-

ra, conditiones autem etiam pro cujusvis natura admodum diversæ; illud cumprimis explorandum jam nobis incumbit, ad quodnam horum pulsus pertineat, & quo modo peragatur. Igitur si omnia, quæ ad hunc concurrunt, satis expendimus diligenter, varia illa esse, multumque inter se diversa, nec unum motus genus nobis exhibere deprehendemus. Alius sane est cordis motus, alius sanguinis, alius denique cedentis arteriæ: Quæ cum vulgo negligantur, & confundantur, non potuit non pulsus cognitio eo admodum obscurari.

Cordis scilicet motus, cum cor sit musculus, non potest esse alius, quam veteres optime systoles & diastoles nominibus inditis significarunt. Hic cum ab HARVEO, LOWERO, aliisque doctis viris quam clarissime sit expositus, actum egerim, si de eo verbum amplius addam. Neque illud enarrare attinet, ut contractione stringi cor, &, parietibus invicem accedentibus, sanguinem excludi omnem contingat, jam tum enim in Propos. 6. id monuimus.

De sanguinis vero motu paulo magis oportet nos esse sollicitos, quod haut pari diligentia ejus ratio hactenus quidem fuit perquisita. Id tantum constitit, a corde per arterias propelli, singulisque pulsibus ejus respondere pulsum subsultantis arteriæ, quali autem motus generi hic sit accensendus, nondum patuit: vario nimirum artificio ut solida, sic etiam fluida de loco moveri constat, & vel trudi, vel exprimi, vel projici, vel denique percussione pelli; quorum ut extrusio est omnium placidissima, sic percussionem vehementissimam esse, in aperto est, quæ, præterquam quod protrudit, cum impetu etiam ejicit & vere pellit. Quis igitur ex his in præsenti negotio motus locum habeat, expediendum est: Qua in re non opus est anxia sollicitudine; res patet, & distinctio abhibenda est. Is enim, quem cor includit, sanguis ab eodem contracto exprimitur, idque impetuosa celeritate, qua eum, qui in arteria est, non leviter ferit, sed percutit plane, & cum impetu semovet e loco. Patet ergo ultimum illudque omnium fortissimum movendi genus naturam sibi elegisse, nec multum

abludere hoc ab eo, quo clavus malleo adigitur, aut in arundine, aut sambuci trunco hærens medulla admoto cuneo ejicitur. Id tamen intercedit differentiæ, quod illic solidum solido, hic fluidum fluido tunditur: quæ cum essentiam rei non attingat, recte & convenienter hunc sanguinis motum percussionem nominari arbitror, vel quia pulsum constituit: id enim dicitur a pello, nihil autem percussione promtius fortiusque pellit. Cum enim sursum deorsumve, idque per canalem coniformem multiplicem, in minima vascula ex amplo principio desinentem, adigendus esset sanguis, non placide, sed cum vi ac magno robore agendum hic erat, ideoque motus ille eligendus, qui & commodissimus erat fluidis pellendis, pariterque fortissimus. Est autem talis percussio, quod partim ex se jam patet, partim ex dicendis magis conspicuum fiet. Neque alia ratione movetur arteria, iteratur enim ad eam sanguinis appulsus, & ipsam vicissim percutit, ni forte quis, trudi eandem potius, quam percuti, velit contendere, cum sanguis movens illi sit maneatve contiguus, qua

de

de re cum nemine litigabimus. Ex percussionis igitur principiis omne hoc negotium, saltim quousque sanguinis motum spectat, explicari potest: sicque de pulsu multo apertius constabit. Ante tamen, quam id moliamur, præmittenda sunt bina adhuc axiomata de fluidorum percussione, cujus longe alia est ratio, quam solidorum, quæ & magis resistunt, adeoque difficilius moventur, & in unum, quo impelluntur, feruntur locum: Illa vero ictum non sustinent, sed diffluunt percussa & dissipantur. Et vero de vi ac natura percussionis, cum generatim omnium, tum & solidorum maxime, doctissimum habemus JOHANNIS ALPHONSI BORELLI, quem suo de motu animalium insigni operi præmisit, commentarium, de fluidorum vero seorsim percussione qui aliquid ediderit, mihi quidem adhuc innotuit nemo. Et vero id omne pro dignitate nunc exequi, & longum foret, & a præsenti instituto est alienum: erit autem alterius fortassis aliquando operæ, nunc id tantum notabimus, quod ad rem facit: nempe

AXIOMA II.

Fluidum vel impulſum, vel percuſſum, ubi cedere libere non poteſt, ſolidi rationem induit.

Hoc ut oſtendamus, ſupponendum eſt, quod omnino ita eſſe conſtat, fluida corpora a ſolidis eo differre, quod non tam arcte ſibi particulæ, ex quibus conſtant, cohæreant; ſunt enim non continuæ, ſed contiguæ. Quod ſi iam impleas vas quoddam minimis corporibus ſolidis, ſitque talis vaſi figura, ut tacta externa quadam vi, cedere eidem haut poſſint, manifeſtum eſt, futurum, ut percuſſa diſſiliant illico, & ſpargantur in orbem. Idem vero in fluidis videmus evenire: Quod ſi ne id quidem poſſint, ſolidi unius corporis vices agent, ictumque excipient omnes illæ particulæ immotæ. Quod fluidis quoque contingere neceſſum eſt, dum in ſe cogi percuſſione quidem nequeant. Hinc videmus, lapillos fluidis oblique immiſſos non findere ea, ſed celerrimo impetu reflecti, & elegantiſſimis ſubſultationibus ſuper ea incedere, donec

nec vi impressa privati, proprio pondere mergantur; idemque de globulis ferreis ex bombardis ejaculatis contingere compertum est. Id quod non ita accideret, si adstantes proxime fluidi partes tanta celeritate, quanta est opus, cedere percussis & admittere corpus immissum quirent. Constat etiam, latiores gladios in aquæ superficiem forti ictu illisos non minus in frusta dissilire, ac si solidis impingantur. Quin & ossa animalibus, si non caute in aquam desiliant, frangi, non est novum: patet ergo solidi tum rationem habere, quod erat demonstrandum.

AXIOMA III.

Si fluidum, cedere nescium, in superficiei parte aliqua percutiatur, impetus impressus statim imminuitur, & fere eliditur. Si vero tota superficies recipiat impetum, & cedere id fluidum possit, pro varia continentis conditione varie se habet. Æquali enim illud si sit amplitudine, uti cylindrica, impetum per omnes sui partes a principio ad finem æqualem conser-

servabit, si turbinatum sit spatium, non sustinebit, si vero conica sit figura, non sustinebit tantum, sed & augebit, viresque addet, non obstante, quam in eum habet, renitentia.

Hoc axioma partim proxime præcedenti, partim priori illi innititur. In eo enim differt a solido fluidum percussum, quod, si ejusdem generis fluidum circumstet, quod cedere possit, impetum non totum ut solidum sustineat, sed recedendo expellat proximum, quod dum propter gravitatem reactionem & renitentiam habet, multum imminuit receptum impetum, ut a principio ad finem fluidi non pertingat, sed dispersus ad latera, pereat sensim. Vide JO. A. BORELLUM (m). Et hoc quidem & vulgo notum est. Si vero certo inclusum spatio tota ejus tangatur superficies, illudve spatium a principio ad finem æqualis sit amplitudinis, æqualiter etiam impetus toti fluido communicabitur, quoniam ex axiomate priori solidi cylindri tunc habet rationem. Omne autem solidum in se totum

(m) Prop. XXIV. cit. loc.

tum æqualiter ictum seu impulsum recipit, nulla per partes reactione; adeoque nec fluidum, in solidum quasi mutatum, renititur in qualibet parte, sed in toto solum & eodem momento temporis. Quod sic demonstro: Sint solida corpora ejusdem molis ejusdemque figuræ plurima, quorum superficies exacte invicem non respondeant modo, sed etiam se tangant, arcteque sibi jungantur, ita ut nec quicquam sit intermedii, sed recta linea per satis longum spatium idque vacuum protendantur. Certum est, primo eorum percusso, omnia reliqua cum ipso simul pulsum iri, nec plus habitura resistentiæ, quam si unum esset corpus solidum, omnia in universum mole æquans. Eadem autem prorsus ratio est fluidorum, quippe quæ ex ejusmodi plurimis corporibus composito solido prorsus respondent, ea tamen cautione, si solido inclusa æqualis amplitudinis, integram superficiem percutiantur. Si enim turbinis in modum ex angusto in amplitudinem desinat, diffluent, & se diffundent partes posticæ, nec sustinebunt, aut recipient impetum, quod nulla eget probatione, cum cuivis sit in pro-

propatulo. Tertium quod attinet membrum, si per conicum spatium propellatur fluidum, quod sensim in angustum desinit, videtur quidem frangi sensim impetus: & omnino etiam patet, multo plus resistere fluidum, tali figuræ inclusum, quam si in cylindro teneretur, ubi resistentia prorsus est nulla, nisi quam habet ipsa moles; verum enim, si penitius rem inspiciamus, deprehendemus, rem non ita esse certam, ut primo intuitu apparet. Cum enim contrariorum contrariæ sint rationes, contraria primum nascetur suspicio ex iis, quæ de turbinata figura diximus. Deinde, etsi negari non possit, primo illo impetu vim percutientis nonnihil retundi, cum illa fluidi pars, quæ cedere non potest, & hic solidi rationem induat. Neque tamen sensim id fit, ac continuo, sed uno illo momento, quo eam sustinet, postea vero, quam retinuit, potius augebitur crescetque eundo, quia ad parietes appressæ atque allisæ particulæ agitati pressive humoris resiliunt, & in eum, qui est in medio, accedit, novo impetu incurrunt, magisque urgent sponte ad exitum properantem. Fit enim, ut una illa pars,

pars, quæ expellitur, totum impetum propulsionis a reliquis partibus simul urgentibus in se una recipiat. Sed & experimenta fidem huic asserto faciunt: nam per siphonem in angustum desinentem pulsus humor non debilius projicitur, sed potius fortissime erumpit, & quo angustius est foramen, seu osculum, eo longius majoriue cum impetu excurrit: quod non fieret, si vis impulsiva, fluido communicata, sensim minueretur, uti fit in figura, huic opposita.

AXIOMA IV.

Fluida, spatio idoneo inclusa, & percussa, non solum eo feruntur, quo pelluntur, sed etiam in latera vasis incurrunt, illaque urgent.

Constat nempe, & a Cl. BELLINIO peropportune est notatum, liquida pressa quaquaversum niti, trusa autem (quod nos addimus) fluere, & quidem majorem habere impetum eo versum, quo pelluntur; maxime, ubi spatio circumscripto inclusa sunt, quod in tractatu de Auditu

ante aliquot annos uberius declaravimus, ſed tamen etiam in orbem diffundi, &, quantum licet, diffluere. Eſt autem percuſſio ex trudendi conatu, & preſſionis vi compoſitus motus: duplicem igitur habebit impetum, antrorſum verſus, & ad latera; quod erat demonſtrandum.

AXIOMA V.

Tale ſpatium idoneum eſt concavum, conicum. Huic igitur incluſa, & feruntur verſus extrema ejus, perque aperta oſcula cum impetu exeunt, & in latera non minori impetu incurrunt.

Hoc quoque ex dictis perſpicuum eſt. Quia enim liquidi preſſi rationem habet, in latera vaſis impetum facit, eademque ratione per repertum exitum propellitur, quod minus in cylindrico, minime omnium in turbinato fiet, ubi preſſione remota, ſimplex tantum expulſio deprehenditur.

Hæc ſunt, quæ præmittenda putavimus. Quæ, etſi ex immediatis non ſint, quo-

quoniam tamen ad prima illa quam proxime accedunt, & pari certitudine esse deprehenduntur, ut reliqua ex iis demonstrari tuto possint, eorum loco esse & haberi tantisper posse existimamus.

PROBLEMA I.

Pulsus rationem omnem ex dictis demonstrare, & in aprico constituere.

Constituimus antea, pulsum cum ratione sanguinis propellendi, tum vero etiam arteriæ eum constituentis ad percussionis genus esse referendum; quod nunc plenius dabimus expeditum. Scilicet ut fiat percussio, & corpore potentia instructo opus est, quæ in propellendum derivetur, & instrumento, quod percutiat, & hanc de se in illud fundat, tum vero & tertio, quod impetum in se recipiat: quamvis enim duo illa, quæ primo memoravimus loco, in uno corpore non infrequenter juncta reperiantur, non tamen id perpetuum est, quod vel ipsomet nostro patet exemplo, & ubi ita esse deprehenditur, e re tamen est, seorsim illa

 con-

contemplari. Apparet autem, hic potentiam istam in corde esse collocatam, instrumenti loco esse sanguinem inde ejectum, percuti illum, qui in universo & multiplici arteriæ tubo continetur, & hujus denique ictum arteriam ipsam excipere: ut hic non simplex aut una percussio, sed composita fiat aut multiplex. Res autem omnis aperta magis erit, si locum, per quem pellitur, hac percussione sanguis, & continentis arteriæ, ipsius denique sanguinis naturam ad allata axiomata conferamus. Habet enim se fluxus sanguinis eo modo, quo per siphonem liquor quilibet ex angusto foramine seu orificio expellitur, cum arteria nihil aliud sit, quam maximæ longitudinis siphon, cujus tubus ex ampla latitudine multis divaricationibus in plurimos semper magis magisque angustatos ramosos siphunculos abiens, tandem in minima oscula eaque innumerabilia terminatur. Per hunc tubum pellendus erat sanguis, idque perpetuo fluxu: cui rei opus erat instrumento, quo pelleretur, quod in siphonibus arte factis solidum esse solet, capite accurate æquans tubi amplitudinem: pilus appellatur.

Quale

Quale in corpore locum habere non poterat. Hic igitur, Lector benevole, ſubſiſte mecum pauliſper, ut æternam ſapientiam Supremi Conditoris noſtri dignis laudibus celebremus: En tibi ſummum, quod quidem humanæ mentis imbecillitas complecti poſſit, artificium, ex quo vita hæc mortalis tanquam ex filo ſuſpenſa eſt. Invenit enim huic ſiphoni pilum Auctor omnium non ex oſſibus aut cartilaginibus, ſed maximo rerum compendio juſſit ſanguinem ſolidi corporis vices ſumere, & ſanguinem ipſum pellere, mox eodem ſibi ſimili pellendum, ſimulque efficit, ut hic liquidus pilus, etſi evaneſcat ſingulis ictibus, nunquam tamen deficiat. Cor enim tanquam carnoſum ſacculum, membrana intus munitum, ſiphoni huic appendit, in quo, ne unquam humor deſit, quantum ſiniſter ſinus in aortam ſanguinis ejicit, tantundem dexter in pulmones, mox illi ſubminiſtrandum emittit: ut hic exiſtat veluti perpetui cujusdam fontis ſcaturigo, qua ſubinde, iteratis vicibus vitalem liquorem eructet, & pilum hunc liquidum, ſed ſolidi viribus inſtructum in pellendum hinc

ſanguinem emittat: nullo morborum maleficio frangendum, nullo vacui metu, aut inani eum retrahendi labore, in vulgatæ fabricæ ſiphonibus inevitabili. Hic ergo annon æquum putas, ut cum Davide in ſanctam rapti & operis, & Fabricatoris admirationem, venerabundi exclamemus: *Glorificor Te, Domine! quod mirifice me fabricatus es, & hoc probe agnoſcit anima mea.*

Equidem, ut jam innuimus, cum non unus isque perpetuus hic ſit pilus, ſed alius atque alius ſingulis momentis e corde depromatur, & in ſanguinem excurrat, nullo cum artificio humano comparandum hoc eſt. Etſi quis enim cogitet corpus unum vel plura in ſiphonem quendam manu ſubinde repetitis ictibus adacta, valde tamen hæc rudis ſimilitudo eſt, nec opus totum exhaurit, aut animum explet, imo cogitari quidem poteſt, perfici autem & in uſum perduci nequit.

Et ſic quidem eo ſanguinis promotionem unice explicandam puto: Quod ſi quis

quis tamen & percuti simul, & trudi sic sanguinem contendat, adeoque motum hunc velit esse compositum, per me licebit id quoque. Simplicem vero trusatilem hunc motum, quod repetitis ictibus incurrat, adeoque vera etiam fiat percussio, vocari nolim; præsertim cum trudens trudendo contiguum non sit, sed e corde, tanquam e caverna in eam irruat & effundatur.

Dictum est hactenus, quo modo se habeat principium & fons mirandi hujus motus: nunc & reliqua detegere conabor, & per fistulam hanc membranaceam incedentem sanguinem prosequar, in ea ipsa quid accidat lustraturus. Non erit autem nobis in hoc deprehendendo multum adeo laborandum: ex propositionibus enim axiomatum loco positis antea, potest constare, quomodo se gerat, ubi novi sanguinis excepit impetum. Recipit nempe ictum non sine notabili quidem resistentia, ob figuram conicæ & variа ramificatione flexurave gaudentis fistulæ, ex Ax. III. (quod non fieret in cylindrica ejus, si talis contingere potuisset

 figu-

figura, ex qua ſane citra ullam reſiſtentiam, niſi quantam ipſa haberet moles, prout ibi oſtenſum eſt, expelleretur,) vincitur tamen & cedit, tantoque hinc majore cum impetu & poſtice & per latera preſſus erumpit ex oſculis. Et quoniam tota hæc ſanguinis maſſa, ubi percutitur, rationem ſolidi induit, vi axiomatis ſecundi, fit ut illa ejus pars, quæ in medio ad centrum canalis eſt, dum is, qui in peripheria ipſi incumbit, fertur extrorſum, a principio ad finem verſus oſcula omnia uno eodemque momento moveatur, eove ipſo temporis puncto, quo ex corde irruit nova ſanguinis portio, & in aortæ principio adſtantem ferit, extremis inhians eructetur, ac verſus venas iter cogatur ingredi: haut aliter ac ſi totus hic ſanguis eſſet ex ligno, aut cera, aut quovis corpore duro fabrefactus, cujus acuta pars ibi extruſa prorumperet.

Cum autem, ex Axiomate IV. non eo tantum verti percuſſa liquida conſtet, quo diriguntur impreſſo impetu, ſed quaquaverſum niti, & in orbem, quantum licet, ſe diffundere, itemque ex conico cana-

canali inclusa & impetuose per extrema exeant, & in latera ejus incurrant, id etiam in sanguine accidere ex V. manifestum est. Unde, diximus eum, qui in peripheria reliquo accumbit, ferri extrorsum, & in arteriæ parietes incurrere, impetus parte in eos translata. Quapropter, cum corpus arteriæ non sit corpus durum, quod illum impune suscipiat, sed molle & flexile & dilatari aptum, ex Defin. seu Prop. IV. cedit urgenti sanguini, & attollitur, digitorumque admotorum apices ferit. Neque per partes hoc, ut forte undosa fiat arteriæ superficiei linea, sed simul undique, & eodem momento, a principio ad finem tubulorum omnium æqualiter. Indeque est, quod ubicunque digitos applices, subsultantem arteriam pariter sit deprehendere, eodemque temporis puncto ubique per totum corpus pulsantem percipi contingat, modo non vel minor sit, quam ut carnis pulpam possit attollere, vel altius abdita sensum eludat: nam & minores pulsare arterias contra, quam arbitrati sunt adhuc circulationis sanguinis assertores plerique, & cum his noster, mox fiet apertum. Qui

ut in eorum plerisque, quæ hactenus exposita fuerunt, satis praeclare se gessit, ita non est in his sua defraudandus laude, quam prolixam sane promeruit. Sed & recte fecerimus forte, si ea quoque protrahamus in lucem, quæ ejus diligentiam fefellerunt: Ex quibus forte primum est, quod putat, eodem puncto temporis, quo constringitur cor, seriem quoque universam arteriarum resilire & pelli extrorsum. Si enim quam accuratissime rem ponderamus, paulo tardius hæc arteriarum fiet, quam cordis pulsatio, etsi tantillum hoc sit, ut percipi vix possit: quantum sc. sanguis sinistro sinu erumpens opus habet, ut in sanguinem in arteria contentum incurrat, illumque pellat e loco, ad quod omnino aliquantulum temporis, paululum licet, requiritur. Omnis enim motus cum fiat in tempore, aliquid etiam temporis hic consumi certum est, & tantum fortassis, ut arteria attolli incipiat, ubi cordis contractio absolvitur: sed minutiæ sunt istæ, usumve habent in arte nullum. Alterum paulo majoris est momenti: Apparuit nempe, ex quarta definitione, arteriam

riam esse ex eo corporum genere, quæ cum mollia sint ac tensa, si inflectantur, resiliunt, id quod etiam agnovit ex parte Doctissimus scriptor, ad distracta enim, ut loqui amat, & rigida inflexa arterias refert. Non autem expendit, hoc admisso, vibrantem arteriam ubi recurrit, non in centro vibrationis consistere, nec in eum, quo erat ante sanguinis incursionem, locum simpliciter restitui, sed in oppositum eam reciproce excurrere, & spatii interioris partem occupare. Ea enim est conditio omnis vibrationis, ut corpora trementia vi eadem qua inflexa sunt, resiliant, nec prius subsistant quam reciproca vibratione utrinque punctum naturalis suæ stationis aliquoties sint supergressa. Sic igitur etiam arterias uti extrorsum, ita etiam introrsum ultra centrum vibrationis se extendere necessum est. Non erat autem negligendus hic excedens centrum resilientis arteriæ impetus. Fit enim hoc, ut non tantum per immissum ex corde sanguinem in iis jam existens expellatur, sed etiam ab ipsa recurrente arteria: hanc enim vibrationem non esse multo minorem in altera sui parte

te quam erat in prima, ex legibus flexilium & elasticis fibris gaudentium corporum patet. In illo igitur recessu haut parum etiam sanguinis ex eorum osculis ejici novo hoc impetu cognoscitur, adeoque duplex est principium motus sanguinis in arteriis, unus enim fit a cordis constrictione, alter ab arteriæ resultorio motu pendet. Et sane fatetur auctor noster, eousque universam seriem arteriarum in motu extrorsum persistere, quousque recens intrusus sanguis intra easdem continetur. Ergo extrusa hoc pacto parte sanguinis, arteriæ in diastole constitutæ adhuc subsistunt, ac præter naturam suam dilatatæ sunt, & tamen impletæ: necessum est autem subsidere & in naturalem statum reverti. Id igitur, dum fit illico post sublationem, cedere oportet sanguinem, qui sustulerat easdem, & locum dare subsidenti arteriæ: quoniam autem in seipsum cogi non potest, fatente id BELLINIO, qui inde *incompressibilem* nominat, subducet se ergo & cedet loco: non poterit autem cedere, si non aliquid ejus vicissim cedat locum huic, & cum spatium, quo abeat, in ipsa arteria non sit,

ſit, utpote quam totam repletam adhuc eſſe oſtenſum ſit, neceſſum eſt, illum exire & verſus venas capillares effluere. Neque vero perexiguum hoc eſſe, exiſtimandum eſt: nam cum eodem puncto temporis attollantur omnes arteriæ, neceſſum etiam eſt, eodem temporis puncto omnes ſubſidere. Quod ubi accidit, partem ſanguinis ſatis notabilem quoque, minorem tamen quam antea, ex ſe expellent. Eo vero jam poſito, atque ſatis, ni fallor, aperte oſtenſo, primum hoc nobis naſcitur conſectarium: ſanguinem in arteriis non minus atque in venis perpetuo, inæquali licet motu moveri. Etiamſi enim aliquod inter ſubſidentiam arteriæ & inſequentem expanſionem, ſeu ſyſtolen & diaſtolen temporis ſpatium concedamus, (uti quidem omnino concedendum videtur) non tamen plane quieſcere ſanguis poſt receptum adeo recenter impetum poteſt, ſed lente & placide ſaltim fluet. Neque verendum eſt, ne hoc conceſſo, cum aliquid ſpatii inveniat ex corde irrumpens ſanguis, minus inde arteriam ſublatum iri, cum conſtet, nonnihil laxa ejuſmodi corpora, mollia

mollia & tenſa, facto impetu facilius cedere, & longius projici, quam ſi nimis adſtricta ſint. Porro autem ex his jam æſtimare licet, quantum ſanguinis ſingulis pulſibus ex arteriis effluat. In quo docendo ſibi vix conſtat BELLINIUS, qui etſi fateatur, perparum eſſe, quod ex corde influat, inſignem tamen ejus quantitatem in venas putat derivari, quod eſt ἀδύνατον. Non enim tantum non plus extrudi poteſt, quam ſuccedit, ſed ne æqualis quidem portio. Aliqua enim ſanguinis pars locum occupat, quem relinquit arteria, ab ipſo extrorſum pulſa, donec, ea recurrente, reliquum ejiciatur: & tum demum extruſi ſanguinis copia molem impulſi exacte poteſt æquare: cujus nec plus exire poteſt, nec minus. Si enim minus, ad ſingulos cordis pulſus augeſcendo, tandem rumperet arteriam, aut dilataret in immenſum; ſi vero plus, plus etiam in dextrum ventriculum influeret; ſi hoc, plus itidem per *pulmones* in ſiniſtrum mandaretur, & *ſic* plus etiam ab eo reciperetur, alias enim ſtagnaret: plus ergo reciperet, quam recipere poſſet, quod eſt abſurdum. Unum adhuc monen-

monendum restat, hujus generis, quod pulsum ipsum spectat, scilicet, dum vir eximius existimavit, frangi sensim receptum a sanguine impetum reactione liquoris, indeque lentius eum versus extremas arterias, segniusve moveri, pulsumque ipsum adeo magis magisque imminui, ac postremo tandem deficere, in eo insignem industriam suam eum fefellisse: in solidis enim, atque iis, quæ eorum naturam imitantur, renitentiam per partes non invenire locum, Axiomate IV. liquido a nobis est ostensum; quin in canalibus conicis, quales sunt arteriæ, potius augeri patuit. Quod de iis, quæ in se non recedunt, & comprimuntur, affirmare potissimum licet. Talem autem esse sanguinem, & non solidi tantum rationem habere, sed etiam esse ex *incompressibilibus*, ipse BELLINIUS fatetur. Manifestum est igitur, reactionem non nisi unam fieri, dum impetum in se accipit sanguis. Et vero contrarium mihi potius videtur constare ipso sensuum testimonio: si enim ita esset, multo sane minorem oporteret in carpo pulsum reperiri, quod remotissimis partibus sit

pro-

proximus, & fortaſſis adeo debilem, ut percipi vix poſſet: nunc vero non minor eſt, quantum æſtimare licet, quam aliarum arteriarum. Sed in digitorum extremis non ſentitur pulſus arteriæ: id vero non ex eo eſt, quod ibi nullus ſit, ſed partim quod minimæ, partim quod intra carnes abditæ delitescant, non poteſt autem minimus ab his editus motus illam incumbentium fibrarum congeriem attollere. Non ignoro quid ea de re doctiſſimus WALÆUS, ipſeque auctor circulationis HARVEUS ſenſerint, meque ab eorum hic doctrina diſcrepare, quippe qui in infantibus febricitantibus tantummodo illum percipi perhibuere: quod quidem fieri eſt verum, non autem propterea naturæ lege in valentibus & adultis non pulſant, licet non ſatis fortiter pulſent, ut percipi poſſint. Si enim ex ſenſu ſtatim argumentum ſumere liceret, ne in metacarpo quidem eas pulſare eſſet ſtatuendum, ſed mox poſt ipſum carpum omnem ſupprimi motum arteriæ. Equidem quid tantis viris impoſuerit neſcio, ego vero in adultis quoque rectiſſime valentibus, (turgeant modo venæ) pulſum

ſum vel in extremis digitorum apicibus non ſemel obſervavi, & poteſt quilibet in ſe ipſo, quoties turgent, iisdem fortiter ad ſolidum corpus appoſitis, ejus rei experimentum capere.

Et ſic jam putamus problemati abunde eſſe ſatisfactum, cum, quod ad pulſum pertineat, nihil ſupereſſe videatur. Quod ſi ita eſt, recteque omnia a nobis fuere expenſa, reliqua etiam phaenomena, quæ in pulſu nonnihil immutato ſunt obvia, explicari ex his poterunt, ea enim eſt conditio veræ demonſtrationis: hoc igitur jam a nobis præſtandum eſt. Prius tamen, quam id aggrediar, veram pulſus ex dictis definitionem ſtruere, non erit ab re noſtra alienum. Eſt enim hoc problematis explicati veluti

CONSECTARIUM.

Omnis ſcilicet definitio eſt oratio, quæ a demonſtratione non niſi poſitione terminorum differt: ea igitur deſiderata, nullam ſtrui poſſe definitionem, inventa vero, ſponte ex eadem naſci, in aprico

 eſt.

est. In ea vero tradenda multiplici BELLINIUS errore lapsus est, etsi vulgatas definitiones tum obscuritatis, tum falsitatis accusans, magnam de se spem fecerit meliorum. Dabis veniam, Vir doctissime, in gratiam juventutis nostræ, cujus jam omnis manibus liber ejus versatur, paulo uberius ostendenti, quomodo circa illam se gesserit præclarus alias Auctor. Duas nempe exhibet definitiones hac usus excusatione. *Quia*, inquit, *so usus obtinuit, ut nomine pulsus non solum motus vere percutiens, sed etiam alter, subductionis simul intelligatur, manifestum est, pulsum ita sumptum, ita nempe, ut utrumque motum, incursus & subductionis comprehendat, dupliciter definiri posse, & respectu digitorum, ipsum percipientium, & respectu solius arteriæ, quæ movetur.* Quibus sane verbis male inter se convenit: nulla enim est ratio, quia usu obtinuit, pulsus nomine utrumque, attollentis se & recedentis arteriæ motum comprehendi, definiri posse duplici modo, respectu ad digitos percipientes, & ad arterias pulsantes: potius illud inde sequitur, quia sic pulsus nomen acci-

accipitur, non nisi respectu arteriæ definiri posse, cum digiti nihil ad hoc conferant, quos sive admoveas, sive retrahas, pulsus semper eodem modo perficietur, nec forte, cui aliter esset visum, unquam repertus est, excepto uno BELLINIO. Ni fallor tamen, aliud in animo fuit nostro, quam in verbis est: id nempe voluit dicere: quoniam a digitis non nisi incursus arteriæ in exteras partes percipitur, respectu digitorum alio esse eum definiendum modo, quam si in se spectetur. Sed neque hoc tueri assertum poterit. Primum enim id longe est certissimum, cum unius rei non nisi una sit, ut Philosophi loqui amant, essentia, ejusdem non nisi unicam esse definitionem: cujus indoles non patitur, ut alio respicias, quicquid imperitum hic doctorum vulgus contra exemplis audeat pugnare. Deinde respectus ille ad digitos non est nisi modus perceptionis, qui sane a re percipienda plurimum est diversus. Porro autem nemo medicorum sollicitus est de perceptione digitorum, sed in eo uno occupatur, ut ipsius arteriæ agnoscat motum. Ergo & superflua est talis conside-

ſideratio, nec ullius utilitatis: qualia perperam coacervare, non eſt boni doctoris, cujus eſt officii inutilia omnia reſcindere, ne confundat diſcentium animos, & inanibus rerum formis larvisque impleat. Et ſane eadem opera quis contendat ſonum duplici modo definiri poſſe, reſpectu colliſorum corporum, & reſpectu auris, itemque colores reſpectu refractionis radiorum luminis & oculorum, ſapores reſpectu linguæ, & ſic in cæteris. Quod quis unquam auſus eſt dicere?

Videamus jam alteram definitionem, quæ ad arteriarum pulſationem attinet. Eam vero nihilo forte quis dixerit iis, quas falſitatis accuſat, meliorem, cum dilatationem & conſtrictionem arteriæ eſſe contendat, quam ad vibrationem pertinere, niſi fallor, ſatis luculenter a nobis eſt oſtenſum. Qui cum bene ſatis convenit quidem dilatationi, at conſtrictionem cum eadem conciliare, fuerit perquam difficile, quum admitti non poſſit, niſi poſitis fibris motricibus, quarum tamen hactenus auctor nullam fecerat mentionem.

Re-

Rectius multo fecisset vir clarissimus, postquam omnino animo insederat duplex illa definitio, si aliam pulsus cordis, aliam dedisset arteriarum, quae duo sane maxime invicem distant.

Est enim pulsus cordis motus ejusdem muscularis, seu constrictivus & relaxativus, (verbis uti liceat Philosophis concessis) sanguinis & caloris per corpus dispensandi gratia a natura institutus, a liquoris nervei (admittamus tantisper Bellinianam hypothesin) cum sanguine concursu, perpetua vicissitudine redintegrandus.

At pulsus arteriarum, qui hic maxime spectatur, & cujus nunc unius ratio nobis habetur, est motus earundem reciprocus, extrorsum & introrsum factus, seu expansivus & recurrens ad dispensationem sanguinis perpetuam rectius conservandam & promovendam, ab impetu ejus, in eam irruentis, proveniens.

PROBLEMA II.

Attributa & affectiones pulſus omnes invenire & demonſtrare.

Poſtquam ex principiis primis, iisque, ut ſpero, veris ac propriis, quid ſit pulſus, accurate indagatum detectumque eſt, non amplius erit difficile, ſi modo vera & genuina illa fuere, omnes ejus affectiones & proprietates quam clariſſima in luce ponere. Hoc itaque nunc tentandum quoque nobis erit.

Attributa autem & affectiones voco, quas vulgo differentias ſolent nominare, perſuaſus, pulſum eſſe unius generis, nec veras differentias admittere, etſi varie poſſit affici, & per gradus augeri minuive: quamvis de nomine lites cum quoquam ſuſcipiendas minime exiſtimem.

Apparet vero illico, cum pulſus ad motum referatur, varias eum ſubire mutationes. Quandoquidem enim omnis motus intendi poteſt & remitti, de pulſu etiam recte id affirmari exiſtimandum eſt: hoc

hoc ipsum vero etiam cum pro diversis motus generibus varie possit accidere, præcipue cum simplex ille non est, sed compositus ac multiplex, qualem esse hunc nostrum ex antea dictis jam patet, singulas ejus partes excuti, si plene rem cognoscere est animus, erit necessarium.

Ad percussionem vero & motum liquoris per fistulam pulsum pertinere, non licet forte post ea, quæ attulimus hactenus, dubitare. Cor enim ubi contrahitur, sanguinemque excludit, percutit is, arpilique in modum urget eum, qui in arteria continetur; is pellitur rursus, & partim quidem erumpit foras, partim in arteriam incurrit, quæ dum dilatatur, assurgit in digitos, eosque ferit, mox retrocedit, vicesque reddit sanguini. In his vero omnibus peragendis cor primus est motor, huic sanguis obsecundat, illique arteria.

Recte igitur facturum me arbitror, si tria isthæc, cum diversissima sint indole, sigillatim pervestigando, quibus muta-

tionibus singulorum motus sint obnoxii, porro exquiram. Primas autem hic sibi cor jure suo vendicat, quod & primum moveatur, & sit omnium præcipuum. Hujus spectari possunt, vel ictus singuli, vel iterati. In singulis occurrit robur & celeritas. Potest enim omnis musculus & celerius tardiusve moveri, & fortius ac languidius. In iteratis frequentia est attendenda, sæpius enim vel raro iterari contractio cordis potest. Veruntamen, si recte calculum ponimus, fortassis omnis cordis pulsatio est celeris, nulla tarda. Sana enim si exemta ex vivacibus animalibus corda intuemur, vel aperto in aliis pectore ea spectamus, tam celeriter moveri deprehendimus, ut vix oculorum acies assequi, imo ne quidem assequi motum satis possit. Neque vero non & carpo admota manus redarguet id negantem, vix enim discerni tempus illud potest, quo se arteria attollit, tam est exiguum. Et vero est musculus, de quo agimus, isque vigore & numero fibrarum instructissimus, antagonista carens, nulli levando ponderi, sed modico, imo pauxillo sanguinis ejiciendo dicatus, cujus utique

que resistentia est non magna: quæ simul omnia miram celeritatem musculis conciliare idonea sunt. Qui ergo aliter fieri posset, quam ut cor celeriter admodum moveatur?

Verum enimvero, quantumvis nullum tardum esse pulsum, ex his facile colligatur, certoque constet, celeritatem tamen illam intendi posse, & majorem fieri, neutiquam est dubitandum. Præterquam enim, quod motus ea sit naturalis indoles, ut augeri possit & minui in infinitum, vehementia etiam pulsus ejus rei præbet documentum. Quoties enim cordis pulsus vehementior fit, (fieri autem, nemo adhuc usque dubitavit) toties etiam augeri velocitatem necesse est, quum vehementia nihil aliud sit, quam energia celeritatis, seu mensura velocitatis ejus, prout JOH. AL. BORELLI, vir perspicacissimus, erudito illo opere, quod antea laudavimus, præclare docet, & res etiam ipsa id satis aperte loquitur. Nullus igitur impetus velocitate carere, neque ulla ratione, nisi eadem aucta, augeri potest. Patet ergo, vehementiorem

reddi pulſum non poſſe, quin etiam fiat velocior, intendi ergo nonnunquam pulſus celeritatem, quod erat demonſtrandum.

Ratum igitur eſto, cor & fortius conſtringi poſſe, & languidius, itemque celerius; an vero etiam tardius poſſit moveri, conſiderandum. Quamvis enim id fieri non repugnet, imo ex natura motus ipſius videatur omnino concedendum, experientia tamen ſi conſulatur, alia omnia reperiri arbitror, nec quenquam medicorum facile aſſerturum (modo a præjudicio ſit liber) notabilem quandam pulſus tarditatem ſe unquam deprehendiſſe: aut ergo nulla erit, aut ſi eſt, ſenſum tamen fallit. Non autem eſſe, perſuadere videtur, quod ubi magnitudo ejus & robur decreſcat, celeritatem intendi obſervetur, id quod in acutis nunquam non eſt obuium. In chronicis forte aliter ſe res habet, & in extrema virium dejectione languidius cor ſe contrahit: verum tum demum, cum ſanguine deficiente, ad extremam parvitatem pulſus redactus eſt, ubi cum diaſtole integre percipi nequeat, multo

multo minus de cordis ipsius contractione inde potest constare, & tarditas a languore discerni: ut etiam tum percipi ac dijudicari vix ac ne vix quidem posse videatur.

Quæritur etiam, an pulsus fortis & vehemens cordis differant, & qua in re illa diversitas constituenda sit? Puto sane omnino differre; aliud enim est fortiter aliquid agere, aliud vehementer. Ad illud enim robur & magnitudinem instrumenti, quod percutit, sufficere apparet: robur enim a mole est; hic contentio etiam accedat oportet, &, ut modo ostendimus, celeritas: potest enim quid tarde moveri & tamen fortiter, ut ingentes solent in æquore fluctus, non item tarde & vehementer. Quod nostro idiomate percommode exprimunt, dum discernunt ista: *Der Puls schlägt starck*, *und der Puls schlägt heftig*. Fit igitur vehemens omnis motus, si ad robur addatur celeritas, & quia illa ipsa reduplicatur, cum e longinquo fit, requiritur ad pulsum vehementem & hoc, vt cor totum sit expansum, tamque fortiter quam velociter mucro ejus

ejus basi admoveatur. Unde elucescit, vehementem hanc contractionem non esse simplicem motus affectionem, sed ex pulsu forti & celeri compositam, adeoque ad simplices pulsuum differentias minus accurate a nostratibus referri. Debilem vero pulsum, qui vehementi opponitur, eundem & tardum esse, non est opus: fracto enim robore, nihil ad vehementiam confert celeritas, imo vel ipsa cessat: ad omnem enim motum celerem magna potentia opus est. A languida itaque debilis cordis pulsatio diversa non est: uti quidem uno verbo populares nostri utrumque denotant: *Er schlägt schwach*, nec aliud, quod suo *heftig* opponant, occurrit.

De frequenti & tardo non opus est agere prolixius. Cum enim pulsus sit iterata percussio, & inter unum atque alterum motum aliquod temporis spatium interponatur, hujus utique etiam ratio habenda erit. Quod cum longius & brevius esse queat, hinc pulsus illi, vel rarius, vel frequentius recurrent & iterabuntur. Cui etiam placito experientia respon-

ſpondet, ut unicuique in his non hoſpiti perſpicuum eſt.

Ex his omnibus conſtituuntur tandem hæc genera: Motus vel contractio cordis

1) Fortior ac debilior, vel languidior;
2) Celeris,
3) Vehemens, } oppoſita ratione carentes;
4) Frequens ac rarior.

Eaque ſunt attributa, quæ in ſe & ſimpliciter ipſi competere poſſunt, omnia; quod patet ex inductione: quicquid enim excogitaveris reliqui, ad horum aliquid nulla opera reducetur, languido, debili & tardo, ſi quis eſt, nihil inter ſe diverſis.

Expenſo cordis motu, de ſanguine ſollicitos nos eſſe convenit, qui a corde, excluſa illa ejus particula, quam ſiniſter modo acceperat ventriculus, veluti telo ex arcu excuſſo percutitur. Quod enim alias fieri eſt notum, ut primi motoris potentia, inſtrumento impulſo communicata, pro ejus, in quod incidit, corporis conditio-

ditione mutetur, indeque accipiat motum, id etiam hic esse expectandum apparet, cum cordis energia illi sanguinis particulæ commissa transferatur in reliquum sanguinem, illumque dirigat, quo motus natura viæque ratio ire eum permittit. Qua de re ut constet, & ipse, quem diximus, sanguis, & arteria est examinanda.

Sanguis igitur, si nimius est, ut arteriæ admodum sint repletæ, difficilius dimovebitur, & impetum irruentis liquidi illius pili haut paulum retundet, arteria vero jam tum distenta cum difficultate amplius extolletur; & quia insuper cor onerabitur, celerem ejus contractionem, adeoque & vehementem haut dubie impediet. Idem vero eveniet, si, paucior licet, sit crassior tamen, quippe quem ex capillaribus osculis non tam facile ac tenuem expelli, manifestum est; fracto igitur cordis impetu, segnius etiam arteria subsultet necesse est. Quod si mediocris satisque fluidi sanguinis copia venas implebit, tum vero & cor pulsare alacrius, & facilius ipse poterit cedere, arteria vero

ro promtius altiusve exurget: ſin vero exigua ſit quantitas, jam neceſſum eſt, & celerem fieri cordis contractionem, non exiſtente, quod illi reſiſtat ſatis, ponatque modum, & debilius feriri arteriam, tanto magis, quod cor non extendetur in priſtinam juſtamve amplitudinem, quoniam totum non impletur, adeoque brevior via muſculoſis fibris conficienda eſt. Quod ſi tenuis valde præterea ſit ſanguis, celerrima ejus reddetur contractio. Et hæc de ſanguine, cujus in craſſitie & copia varietas omnis videtur quærenda, nec quicquam amplius supereſſe.

Reſtat, ut arteriam quoque contemplemur, etſi jam tum aliqua attigiſſe videri poſſimus, quæ ad eam attinent. An vero aliquod hic discrimen occurrat, merito dubites: ut enim uni homini præ altero craſſior & robuſtior contigerit, (quod in omnibus corporis partibus accidere ſolet) æque tamen omnis fuerit flexilis, & impulſum ſanguinis in ſe accipere & repellere apta, quamdiu naturæ præſcripto conveniens deprehenditur. Credibile etiam, naturam æquabili ratione

ne viscerum, nominatim cordis, & horum canalium robur dispertiri: minime vero putandum est, ejusdem corporis arterias ex morbis mutari, duriores, molliore sve effici. Meminisse etiam oportet, nos attributa pulsuum sectantes, singulorum, non universæ naturæ varietatem inquirere. Nulla igitur pulsui diversitas ex arteria potest evenire. Illud prætereundum silentio non est, in aliis magis apertas jacere arterias, tactuique patere, in aliis profundius esse abditas: itemque in emaciatis morbove consumtis, evanescente sensim pinguedine, fibrisve carneis collapsis, in aperto magis positas, in bene saginatis vero contectas absconditasve. Hinc utrinque cautio est, ne vel profundius jacens arteria specie debilitatis imponat, magnusve qui est, exilis videatur, vel contra magnus nimis habeatur, qui carnium justa obductus copia mediocritatem forte non multo excederet.

Et nunc tandem, his omnibus pensitatis probe, de pulsu certi quid statuere licebit, quod, vel uno horum neglecto, fieri commode non poterat. Neque enim suffi-

ſufficiebat cordis motum habere perſpectum: quantumvis enim in ejus notitiam venire deſideremus maxime, neque tamen hunc ſolum expetimus diſcere; & pulſum arteriæ, non cordis exploramus, quod tangere eſt nefas. Qualem igitur percipiunt digiti in arteria micare, talis nobis deſcribendus, nominandusve veniet, nec cum cordis pulſu, quod vulgo fieri conſuevit, erit confundendus; ut recte monuit primus, qui pulſum curatius exploravit, Auctor HEROPHILUS, de quo (*) ita ſcribit GALENUS: *Videtur omnem vir ille motum arteriarum, quem habere nos a primis vitæ temporibus ad mortem usque percipimus, pulſum appellare, ex quo præſentem ſtatum cognoſcimus, præſcimus venientem, nec pulſum, qui in corde eſt, vel in cerebro, vel in membranis ejus, requirimus.* Cujus exemplum utinam ipſe GALENUS eſſet ſecutus. Talis autem pulſus arteriarum deprehenditur:

 I. *For-*

(*) IV. *de diff. Pulſ.*

I.

Fortior cordis contractio cum ſanguinis abundantia pulſum conſtituit, quem magnum appellamus.

Magnum ſcilicet, quia & arteria altius extollitur, & plenius ſpiſſiusve pulſat, manifeſtoque, & leniter in digitos impellitur. Ut autem, qui iſtuc fiat, aperiamus, ex iis, quæ diximus, hæc recolenda ſunt: inſigne cordis robur, ubi magna ſimul exiſtit in corpore ſanguinis copia, & in ejusdem ſinus hinc plurimus influit, illosve diſtendit, vehementem molietur contractionem, ſed mole ſanguinis expellendi laborans, vix perficiet gnaviter, impetu igitur ejus nonnihil retuſo, celeritatem non aſſequetur. Sed parum hoc tamen fortaſſis conatum ejus remorabitur: at ubi ejectus hinc liquidus pilus multum adeo ſanguinem offendit, presſumque arctius in diſtenta arteria, difficilius amovebit, fortiter licet incurrens, arteria altius quidem aſſurget, ſed nec celeriter, nec ſine difficultate: naſcetur ergo pulſus, qualem in plethoricis & febrium initiis

initiis obſervare eſt, qui Magnus appellatur.

II.

Fortiter ſe movente corde cum ſanguinis juſta, id eſt magna quidem, ſed quæ intra mediocritatem ſtet, copia, naturalis; at ubi celeritas accedit, vehemens naſcetur pulſus.

Jam tum innuimus, pulſum vehementem cordis non ex ſimplicibus eſſe, ſed compoſitis ejus generibus: quod nunc clarius etiam de illo, quem edit arteria, eluceſcit. Componitur enim manifeſto ex magno & celeri. Paradoxon forte proferre videor: contra omnium enim hoc videtur eſſe medicorum ſententiam, niſi quod *Magnum*, neſcio quem, idem ſenſiſſe olim, diſco ex GALENO (*), ubi Archigenes adverſus eum diſputans citatur. Sed ita fert cauſa veritatis, & res eſt nimis manifeſta, quam ut negari queat, quicquid etiam de medicorum auctoritate ſit futurum. Fefellit enim eos, quod

(*) *Lib. III. de differ. Pulſ.* cap. 1.

quod solus hic, compositus cum sit, nomine gaudeat simplici, cujus fallaciae quanta sit vis, qui ARISTOTELIS de Sophisticis elenchis primum caput inspexit, non potest ignorare, ubi incomparabilis vir praeclare de ea re monuit. Quod tamen non omni ex parte fefellit Galenum, utpote quem, ne ab illis discederet, solus retinuit usus loquendi, sic enim legitur libro laudato tertio: *Quam ob rem, si mihi nomen sit instituere liberum, simplicem pulsuum renitentium qualitatem & evertentium tactum, vim vel robur, vel contentionem appellem, vel quid tale aliud, quae vero ex hac est & celeritate conflata, vocem vehementiam.* Haec ille. Sed rem ita esse, ut diximus, inde est liquidum, quod cor, sua potentia instructum, ubi justa sanguinis parte impletur, &, quantum sat est, extenditur, nec nimis ab eo oneratur tamen, expeditius se movebit, & naturae convenienter aget. Concitatum vero forte a causa morbosa, velocius motum, majore cum impetu sanguinem ejiciet. qui in proximum eodem impetu incurret, is vero hinc in arteriam: non potest enim, quia non ni-

nimius est, frangere impetum propulsoris. Eam igitur & celerius attollet, & inde etiam altius, unde nascetur pulsus vehemens: qualem in febribus intermittentibus, vel primo statim initio, vel paroxysmis aliquot præterlapsis semper observari, itemque in animo commotis. Sed non admodum crassum ac ponderosum oportet esse sanguinem: talem enim celeritatem non admittere, jam antea monuimus. Sed quoniam hic pulsus celeris facta est mentio, tempus est, eum descriptum dare.

III.

Quoties breviore, atque assolet, temporis spatio cordis mucro ad basin admovetur, si sanguinis sit homini non nimium, neque is crassitie & ponderositate laboret, edetur pulsus celer.

Iam hæc innuimus, & in aperto res est collocata; opportune tamen hic moneri poterit, quod ad copiam sanguinis, in triplici esse eam differentia; vel enim abundabit, & tum celeritas locum non invenit, vel mediocris est, & cum magno jun-

jungetur, vehementemque arteriæ subsultationem efficiet, vel denique exiguum ejus supereſt, tum vero & celer, modo cordi ſuum conſtet robur, & ſimul parvus fiet pulſus, qui, cum non minus quam vehemens ſit compoſitus, nomine vero ſingulari careat, pulſus interim celer & parvus appellatur: unde robur accipiunt, quæ de vehementi ſupra attulimus. Tum vero notandum & hoc: quo minus in venis eſt ſanguinis, eo celeriorem pulſum edi poſſe, neque enim ſolum thalami cordis non expandentur, adeoque brevior erit fibrarum decurſus, ſed etiam minus invenient reſiſtentiæ. Idem etiam de attenuato valdeque fluido ſanguine tenendum eſt: ut oppoſito modo ſe habet craſſus, lentus, ponderoſus, qui dum difficilius amovetur & excedit ex oſculis, plus renitentiæ habebit, & vel cum celeri cordis motu pulſum tamen arteriæ celerem fieri prohibebit.

IV.

Quandocunque exigua in venis eſt ſanguinis copia, parvus fiet pulſus.

Parvi pulſus alia nonnihil eſt ratio, quam

quam magni, qui non fit sine cordis robore & contractione plenaria, hic vero a solo sanguine pendet. Quanto enim cor tandem vigore se contrahat, ubi sanguis deficit, non poterit fieri magnus pulsus. Exigua enim pars sanguinis, cum arteriam ne impleat quidem, multo minus potest attollere: utrumque autem horum oportet fieri, ut magnus edatur, stante eo, quod asseruimus: arteriæ, non cordis pulsum nos metiri. At enim, si omnia recte expendamus, forte cum exigua sanguinis quantitate magnum cordis robur neutiquam adesse simul potest, ut nec cum parvo pulsu copia sanguinis. Etsi enim debilem etiam pulsum cum mediocri ejusdem quantitate sit nonnunquam observare, id tamen fere in solis oppressionibus vel malignis, vel hystericis contingere solet, ubi non deest robur cordi, sed opprimitur, prout a spirituosis particulis oppressis fieri, non obscure mihi videor observasse: id quod etiam lipothymiæ confirmant, sæpe obruentes, quos cætera omnia pulchre valere constat. Sed de hac re deinceps ad problema postremum uberius agere est animus:

nunc id interea ſupponemus. Parvus pulſus in declinantibus ad finem febribus, aliisque morbis obſervatur: parvus vero & celer in intermittentium diuturniorum paroxyſmis occurrit.

V.

Ut primum a cordis contractione celeritas abeſt, parum autem ſanguinis reſtat in venis, fit pulſus debilis.

Non opus eſt, ut lente cor contrahatur, modo non celeriter id fiat, ad languidum hoc pulſum edendum ſufficit. Dubitari quidem poſſet, an non cum copia ſanguinis ſatis magna debilis fieri pulſus queat? Verum hoc rectæ rationi puto adverſari. Ut enim vehementem non niſi magnum eſſe, ex iis conſtat, quæ modo in medium ſunt allata; ita nec debilis poteſt concipi, niſi ſimul ſit parvus, contrariorum enim, quod docent Philoſophiæ magiſtri, eadem eſt ratio. At porro etiam, cum vehementem ex magno faciat ſola celeritas, ex parvo, ſimul ac contractio cordis eadem deſtituitur, fieri debilem neceſſe eſt.

est. Debilis post parvum, in magis inclinato, mortique proximo febrium & aliorum omnium morborum statu deprehenditur.

VI.

Tardus autem fit pulsus, cum notabilis est sanguinis resistentia, a cordis autem contractione celeritas semota.

Dum cordis pulsum unquam tardum fieri in antecedentibus ivimus negatum, neutiquam & arteriæ pulsum tardum esse non posse, assertum voluimus. Potest enim ab intermedio sanguine plurimum ille mutari, quemadmodum ex modo allatis exemplis deprehendere est. Si enim robur cordis sit imbecille, ut admodum velociter non moveatur, sed naturali celeritate solummodo se contrahat, sanguis autem aliqua valeat renitendi vi, non totum egesti in se sanguinis impetum recipiet, sed nonnihil tractum: lentius ergo movebitur, quam movebatur in ipsum sanguis, & cum ipsum etiam ejectum sanguinem paulo placidius quam cor moveri

ri credibile ſit, (reſiſtentiam enim habet) tertiumque frangatur hæc communicata energia ad arteriam, tardiorem poſtremo hujus pulſum fieri concedendum erit, etiam ſi cor non ſine celeritate aliqua moveatur. Et hinc etiam magnum pulſum tum demum fieri aſſeruimus, ſi robur cordis ſit conſtantiſſimum. Si igitur fractum hoc eſt robur, cum parvo & tenui ſanguine, mollius arteriam feriente, pulſus erit debilis, non enim niſi pars diaſtoles ſentietur; cum multo vero aut craſſiore tardus evadet. Ut enim ille a corde communicatam potentiam in arteriam exſerere & transferre nequit; ſic eandem franget hujus ponderoſitas, & ſupprimet. Hæc de pulſu ſingulari, reliquum eſt, ut de intercurrente ſpatio notemus.

VII.

Frequens cordis & rara pulſatio nullam a ſanguine aut arteria mutationem ſubit, ſed qualis inde prodit, talis ad hanc incorrupta devolvitur.

Ratio omnibus patet: cuncta enim, quæ ex mobilium ſunt cenſu, percuſſa

in

in spatio idoneo, cedere assolent, idque utplurimum, & quotiescunque a percutiente impelluntur: sanguis autem & arteria his accensenda sunt. Frequens in omni febrium genere nunquam non offert sese, & cum calore earum est pathognomonicum: rarus autem in suppressionibus uterinis, hypochondriacis & talibus; sed nec in his perpetuo, verum per vices regnat.

Et tot quidem modis a naturali illa mediocritate, quæ recte valentibus est propria, desciscere pulsus potest, cujus inde exurgunt, remoto ex simplicium numero vehementi & debili, diversitates simplices omnino tres:

1. Magnus & parvus;
2. Celer & tardus;
3. Frequens & rarus.

Ex quibus vulgo nescio quot genera compositorum tradunt oriri: ego vero reducenda arbitror ad sequentia:

1. Cum

1. Cum magno combinari potest frequens & rarus, sed uterque nullo excessu notabilis, celeritatem autem sanguinis copia, tarditatem vero cordis robur vix admittunt: servabit igitur in his mediocritatem.

2. Celer cum mediocriter magno vehementem constituit. Inter hunc autem & tardum medius cum parvo erit debilis. Nam tardum ipsum cum parvo stare non posse, supra est ostensum. Idem cum parvo etiam facillime & frequentissime conjungitur.

3. Frequens cum omnibus generibus subsistit, præterquam cum tardo.

4. Parvus celer esse potest, non tardus, frequens etiam potius, quam rarus, non tamen hic nunquam cum illo occurrit.

5. Tardus mediocri magnitudini jungitur, itemque frequentiæ mediocri.

6. Rarus cum magno, parvo, debili, tardo concurrere obſervatur.

Conſurgent igitur Compoſiti VIII.

1. Magnus & frequens.
2. Magnus & rarus.
3. Magnus & celer, vehemens.
4. Magnus & tardus.
5. Parvus & frequens.
6. Parvus & rarus.
7. Parvus & celer.
8. Parvus & mediocriter tardus componunt Debilem.

Decompoſiti vero, ſeu tergemini IV.

1. Vehemens (ſeu magnus, celer) & frequens.
2. Vehemens (ſeu magnus, celer) & rarus.
3. Debilis (ſeu parvus, nonnihil tardior) & frequens.
4. Debilis (ſeu parvus, nonnihil tardus) & rarus.

Tot

Tot nempe, nec plures ratio admittit, confirmat experientia; a qua duplici cynosura vel latum unguem declinare nefas est. Qui id faciunt, vel ingenii lusu decepti, vel vulgatis opinionibus, aut auctoritate inducti censendi. Unde non possumus in reliquis BELLINIO nostro subscribere, qui non cordis modo & sanguinis, sed arteriæ quoque causa pulsum censet immutari, & pro varia ejus tum amplitudine, tum duritie alium fieri. Notandum enim, pulsum conferri posse & ad pulsum alterius, & ad se ipsum: & hoc quidem, prout vel ætate, vel ex morbo fit alius: quæ duo neutiquam sunt confundenda. Sic pro ratione totius generis humani non est dubitandum, in corporibus grandioribus etiam ampliores esse arterias, imo forte & cordis amplitudini ac moli arterias accommodari. Neque est, qui non videat, pueris & minores eas esse & molliores: sed hoc non jam inquiritur. Cum enim ars versetur circa singularia, illud dubium est, an ex morbis etiam talis arteriis accidere possit mutatio. Ubi quidem causam nullam video, cur amplitudinem ex iis augeri statua-

tuamus. Neque enim experientia id constat, nec credere ulla cogit ratio: cum ne quidem in Aneurismate arterias, ut nonnulli existimarunt fieri, amplientur. Alia ratio est duritiei: nam arterias, aquæ ferventi commissas, statim indurescere, experimento licet discere, ut non sine ratione Galenus videatur pulsum durum introduxisse. Attamen si penitus rem inspicias, neque is videtur facile admittendus. Primum enim, an in humano corpore idem evenire queat, merito dubites: eo enim admisso nemo amplius, qui semel calido aliquo morbo, aut vel intermittente laboraverit febre, pulsum naturalem reciperet, cum ex molli quidem dura reddi arteria possit, sed a duritie ad mollitiem non sit regressus: alia autem omnia docet experientia. Sed & in aquam tepidam, vel ejus caloris, qualis sanguis æstuans in febribus esse possit, si arteriam mittas, non æque succedit experimentum. Concedamus autem, & hoc fieri: non tamen ideo pulsus durus ac mollis poterit inde appellari, cum motum quendam durum mollemve dicere absurdum sit, at vero pulsus est motus, ergo ex Axioma-

Axiomatis I. virtute durus dici non potest. Verum hoc forte Galenus aliquis dixerit esse litigationem de nomine: arteriæ enim duritiem sentiri. Primum itaque loquatur is perspicue, ut illum videam, nec pulsum, seu distensionem arteriæ duram vocet, sed arteriam ipsam: deinde faciat periculum, vt certo illi constet, duritiæ sensum in pulpam digitorum per integumenta corporis transmeare: quod ubi exploratum habebit, circumspiciat de tam exquisitæ disquisitionis usu, & dicat mihi, an aliud præter calidæ intemperiei excessum adaperiat? Quod si non invenitur, valeant cum suo pulsu duro, quicunque eum hactenus asseruerunt, cum de illa satis superque aliunde & ex ipsiusmet pulsus reliquis differentiis queat constare. Et quid tandem fiet de pulsu arteriæ induratæ? profecto nil aliud, quam quod pulsus erit minor. Cum enim tam promte ut antea neque extolli, neque dilatari amplius durior arteria possit, parvus erit pulsus: quod si ita est, ego demiror in diuturnis febribus, & quartanis biennalibus eum non plane deficere, quibus tamen superatis pulsus a naturali nulla sentitur

titur diversitas. Et vero pulsum non durum, sed parvum fieri, agnoscit hic, & cogitur BELLINIUS fateri, levius digitos pressurum tunc pulsum inquiens: ergo sane parvus erit, non durus, quippe qui fortius erat pressurus. Quomodo autem sui oblitum, diversum adeo deinde sentire eum contigerit, non patet: si quid tamen perspicio, abripuit illum vulgata, sed erronea Galenicorum doctrina: qua a Magistro docti, inter pleuritidis pathognomonica etiam pulsum durum referunt, metuentes, ne forte illo amisso eam non possent amplius agnoscere. Sed enim vereor, ne in universum doctissimo huic viro contigerit, quod magno accidisse novimus Galeno, qui cum alibi, tum in doctrina de pulsu maxime, magis speculationibus, quam veris rei momentis animum intendisse videtur, nec pauca inania & superflua congessisse, quæ excogitari quidem facilius, quam ipso opere deinde deprehendi potuerunt. Quamvis, si legas cum cura ejus libros de pulsibus, non tam ipsummet nobis finxisse isthæc, quam ex ingenti multitudine ab aliis ante ipsum effictorum reliquisse eum

appareat, cum in quam multis eorum refutandis haut parum consumat operæ. Quicquid autem hujus sit, certe ex rejectaneis etiam est illa distinctio, qua pulsus plenus aut vacuus esse existimatur, quem a magno & parvo non alia ratione differre constat, quam qua causa ab effectu. Si enim plenæ sint arteriæ, magnus erit, si inanes, parvum esse convenit: causa autem pulsus non potest esse pulsus ipse, nec nomen ita simpliciter eidem impertire suum, multo vero minus novam differentiam constituere: Ut taceam, motum plenum & vacuum dici citra absurditatem non posse: adeoque nec pulsum; quod ostenditur ex eodem axiomate modo citato. Quapropter et ipse *Galenus* eum eliminat, & examinatum rejicit, libro *de Differ. pulsuum & tertio & ultimo.* Quo magis miror, etiam illos, qui eum vbique habent alias in oculis, hunc pulsum post ipsum ausos fuisse ex orco reducere.

Sequitur pulsus celer ac tardus; de quo quam sibi non constet noster, quilibet videt. Nam de hoc ultimo mecum equidem facit, & in statu naturali eum non occur-

occurrere satis probe perspexit, mox tamen in universali arteriarum obstructione eum fieri posse ait: quæ ipsa arteriarum obstructio cum per naturæ leges accidere nunquam possit, facile apparet, quid de eo sit sentiendum; uti etiam de arteriis, prorsus exhaustis, ex quibus non celerem, sed parvum fieri, manifestum est.

Postremo advertendum est, doctissimum virum in eo non parum recedere a doctrina vulgata, quod compositas pulsuum differentias cum respectivis confundit. Verum id cum ex Institutionibus sit notum, tyronum causa uno verbo monuisse sufficier. Respectivas autem differentias vocari constat, cum vel pulsus ipsius, vel intercurrentis quietis tempora invicem conferuntur.

Pulsum autem ad pulsum conferri posse, ex se elucet, cum unus altero queat esse celerior, major ac vehementior; nec minus de quiete id verum est, cum inter duos pulsus modo plus temporis intercedere queat, modo vero minus: unde utrinque inæqualitas pulsus nascitur. Nihil autem a vero aberravero, si neque

 cum

cum magno, neque cum vehementi in-
æqualitatem frequenter observari asse-
ram. In tertianis tamen una alterave
vice eam memini me reperisse: nec du-
bito, vel multitudinem sanguinis, vel
aliquid malignitatis ejus rei fuisse causam.
Ubi enim pulsus magnus est, multum
esse sanguinem plane oportet, quocum
debilitatem cordis stare non posse, ex
antea dictis constat: relinquitur ergo, ut
vel oppressa ejus potentia motiva, vel
onerata deficiat. Cum magno celeritas
etiam inæqualis potest occurrere. Quæ
si per vices augetur, vehementem magno
intercurrentem constituet. Duplici igi-
tur ratione pulsus ad pulsum collatus in-
æqualis erit: in magnitudine & vehe-
mentia. Quod si cum parvo celeritas
varia se exserat, debilis huic vel vehe-
mens dicetur itidem interponi. Sed in
frequentia & raritate quoque spectari pot-
est varietas; quæ si tanta sit, ut spatium
intercedentis quietis duplicetur, erit pul-
sus intermittens, si tam exiguum, vt bis
feriat eo, quo semel attolli solebat, mo-
mento arteria, intercurrens poterit appel-
lari: si cum extrema exilitate intermittat,
de-

deficiens, qui parvi seu debilis quidam veluti excessus habendus est.

His in unum collectis in inæqualitate ista emergit pulsuum varietas:

1. In magnitudine simpliciter tali.
2. In magnitudine & celeritate, unde vehemens nascitur, magno per vices interpositus.
3. Quod si celeritas cum parvo concurrat, simpliciter celer interponetur; si vero simul & in magnitudine variet, vehemens quoque fuerit.
4. Frequentia ipsa vero etiam inconstans, cum magnus esse potest, tum vehemens, itemque debilis & parvus. Hanc enim affectionem omnibus pariter pulsibus convenire, supra jam docui.

Et in his, ut ego quidem arbitror, possumus acquiescere. Nam reliquas omnes minutias & miras tricas, quibus excarnificantur ingenia discentium, tempusque illis ediscendis inutili consumitur diligentia, ne hilum quidem æstimanda puto, maxime vero illam, quæ in singulari pulsu perhibetur observari inæqualitas.

tas. Myurum hinc, Impar citatum, dicrotum, caprizantem, undosum, vermiculantem, formicantem, serratum, & si quæ sunt febriculosa commenta ac pulsuum portenta alia, rejicienda opinor omnia, quibus otiosa ingenia oblectamentum & pabulum quærant; illi autem, qui vita brevi artem longam exercere cupiunt, nullum certe capient fructum. Qui enim hæc nasci, aut quibus cordis afflictionibus excitari unquam, imo qui percipi possint non patet, cum sensus tactus homini omnium sit crassissimus & obtusus maxime, neque alias etiam motus judex adæquatus, utpote qui ad qualitates tactiles non referatur. Quod si quis tam se esse felicem prædicet, ut internoscere hæc possit naturæ an artis ludibria, illum ego tam egregia de se concepta existimatione frui non tantum lubens permittam, sed etiam optabo, ut publico artis & ægrotantium bono hic prorsus decipiatur mea stupiditas; interea tamen eundem obtestor per Genium suum, per suam fidem, quam inde utilitatem speret, edisserat. Cum enim omnes isti pulsus, paucis saltim exceptis, ægro exitium porten-

tendant, & in extremum locum redactum esse, faciant fidem, reliqui cum nihil certi significent, cui usui obsecro hæc tam sollicite jubentur discerni, aut tanto cum labore ediscuntur? Sed quid opus est verbis, in hanc rem inutiliter profusis, cum in promtu sint clarissimorum virorum testimonia, qui percipi aut usum habere neutiquam posse, fatentur ultro: quale est illud JOANNIS BAPTISTÆ MONTANI qui etsi tam acris ac diligens GALENI fuerit sectator, ut ejus genius quibusdam visus sit, & anima illius in eum transiisse dicatur, non tamen dubitavit aperte fateri, *se minutias illas pulsuum cognoscere non potuisse, seque credere* GALENUM *in his aliquid Græci* (Græcam fidem innuit) *habuisse, cumque ista scriberet, & pulsuum genera ad minima divideret, risisse.* Cui accedat alterum HERC. SAXONIÆ, * *eas differentias, quæ ad artem nihil conferunt,* inquit, *plurimi proponunt, non quod ipsi sensu eas cognoverint, sed ut* GALENI *mentem, obscuris verbis involutam, quoad fieri possit, plenius aperiant, aut nihil,*

* Libro de Pulsu.

nihil, quod a GALENO *aliquando propositum fuerit, neglexisse videantur.* Quod si viri illi, in quibus summum studium, ingenium vero maximum ac felicissimum viguit, qui in arte facienda consenuere, ejusque usu omnes sui temporis medicos æquarunt, si non etiam supergressi sunt, illeque ipse GALENI Genius hæc capere non potuit, quid de aliis sperem, facile Lector eruditus conjecturabit. Jactet se, qui velit, se his esse sagaciorem, ego hic non modo plus non sapere, sed cum his etiam desipere videri non renuam.

Superest ut de Rhythmo etiam paucis agamus, ne quid omisisse aut neglexisse videamur, quod ad pulsuum doctrinam pertineret. Idque tanto lubentius facio, quod video, nullibi hanc doctrinam recte proponi, sed vel imperfecte tradi, vel plane a scopo aberrari, quod Rhythmi naturam præ ignorantia Musicæ artis ignorent plerique Medicorum, adeoque hic micent in tenebris, & Andabatarum more aërem frustra flagellent. Ut ut autem a teneris huic studio deditus fuerim, ejusque principiis ac scientia nonnihil imbutus;

tus; sic eo facilius præ ceteris mihi erit, istam artis partem clarius percipere, & pro tenuitate ingenii emendare. Veniam autem merentur nostrates, cum erroribus atque incertitudine sua iis præiverit dux gregis Galenus, qui dum in solo dilatationis & contractionis tempore inter se collato rhythmum posuit, duplici nomine meretur reprehensionem. Primum enim falsum plane est, hæc tempora posse unquam inæqualia fieri: cum enim non proprio motu arteriam contrahi, sed inflexorum rigidorum more resilire ostenderim, certa naturæ lege reciprocum hunc motum inæqualiter edere prohibetur. Deinde, etiamsi concedatur ipsi spontanea arteriæ per fibras contractio, tamen hoc solo spectato, vix minutam rhythmi portionem tetigerit, quem multo latius patere, & per omnem pulsus inæqualitatem ordinatam se diffundere patescet; in qua cum multus, imo nimius sit Galenus, turpe ipsi profecto est hoc ignorasse, cum propter solam istam ignorantiam imperfectam illam doctrinam suam relinquere sit coactus. Multo rectius autem adjunxisset

 sub-

subsidentiæ quietis tempus ad rhythmum istum suum constituendum, in quo faciendo præluserat HEROPHILUS, quem ille in hoc genere doctrinæ principem vocare solet, nescio vero quo genio in transversum actus, hic sine ulla ratione ab eo defecit, pariter atque ab ipsis Musicis, quod tertio ejus de dignoscendis pulsibus fatetur, quem locum, cum parum vulgo sit notus, operæ pretium arbitror tibi integrum exhibere. Talis ille est: *Verum quid interpretetur rhythmum* (HEROPHILUS) *difficile est inventu, temporisne distensionis solius ad tempus contractionis solius proportionem, an ipsum etiam quietis tempus, quæ comitatur utrumque motum, iis attribuat: neutrum enim ejus oratio plane ostendit, neque confirmare rerum natura potest. Quod si jam alteram sententiam tueamur instituto musicorum, tempora quietum præcedentibus motibus adjiciemus; sin, quod facit ad præsagiendum, motum cum motu comparantes, separatim quietum tempus æstimabimus. Cum igitur alterutrum sit necesse, aut notionem nominis labefactare, aut pervertere usum, utrum*

fa-

faciamus potius, implicati tenemur. Tamen, quandoquidem alterum eligendum est, repudiato musicorum nomine, quod conducit ad præsagiendum, potius ducam. Ex quo apparet, & HEROPHILUM, & Musicos alium iniisse computum in rhythmo, quam Galenum, qui de eo agentem, quia non arrisit, non potuit HEROPHILUM capere. Nulla autem erat ratio, cur perverteret nominum usum, præsagiendi gratia, quod multo commodius fiet retentis HEROPHILI placitis: nam quietem nisi adjungas, nullam in rhythmo fieri diversitatem posse, nimis est perspicuum. Quod ut fiat apertum, quo pacto sibi ulterius constet, pergamus ad rem, & nostram sententiam tibi exponamus. Cum autem ipsum Rhythmi vocabulum ex illa arte ad nostram traductum sit, nullam esse existimandum est viam aliam, qua devitemus hic errores, quam si a Musicis doceri nos patiamur, quid sit rhythmus. Neque tamen ab hodiernis e trivio hoc petendum aut exquirendum est Musicis, qui id plerumque non magis perspectum habent, quam Thebarum portas, aut septem ostia Nili, sed ab antiquis

quis illis Græcis, qui hoc regere animos poterant, imperare affectibus, & flectere illos, quo vellent: quo artificio nostri pene toto destituuntur. Si fateri enim volumus, quod res est, in Germanorum cantu nullus prope rhythmus observatus hactenus fuit, pauca modo scenica, quæ Hamburgensium conatus nuper, Italicum imitati idioma, nobis dedere, & unum alterumque genus a Latinis imitatum excipias. Quamvis & Italicum rhythmo omni destitui, vir stupendæ eruditionis, & qui unicus hac in parte sapere mihi videtur, IS. VOSSIUS existimet: quod, si artem ipsam spectes, omnino ita esse deprehenditur, quamvis casus aliquem nonnunquam finxerit & usus diuturnior, inscio forte artifice. Quo autem securior incedam, liceat mihi hunc optimum hujus artis magistrum, & genuinum veteris Musicæ interpretem in societatem assumere, testemque laudare. Ipse igitur, postquam tria in cantu notanda esse, advertit, harmoniam, sermonem, & rhythmum; hunc tandem esse docet concinnum cantici motum, aliquid significantem, qui cantum animet & affe-

affectibus movendis, vel ſolus ſine verbis ſit aptus. Conſtare autem ex pedibus metricis apte inter ſe ordinatis. Et ſane ita eſt: quod in ſoluta oratione eſt numerus, id pedum ſymmetriæ in Poëtica, & in Muſica rythmo adſcribendum venit, niſi quod hujus multo major vis eſt, & plane ἑλκυστικόν τι, imo rapiens. Hoc igitur ſi ad pulſum jam transferre animus eſt, facile apparebit, quam varie hic a noſtris fuerit peccatum. Quod tamen mirum videri non debet: cum enim ad numeros quidem olim pulſus fuiſſe exactos conſtet, qui autem hanc artem ex veteribus docuerit, ſuperſit nemo, atque interim ita illa interciderit, ut ne quidem rythmi ulla notitia nobis reſtet: qui potuerunt, quotquot tandem id opus aggreſſi ſunt, non abduci in errores, poſtquam ipſum etiam, qui unus ſervare eam poterat nobis, Galenum Muſices imperitia ab his ſacris arcuit? Sed ad rem accedamus: ubi, quo rectius aliquid de rhythmo pulſus dici poſſit, ipſa illa pedum metricorum hiſtoria ad memoriam revocanda eſt. Cum enim hi rhythmo ſint ordine priores, niſi illi in pulſibus ſpectari que-

queant, nihil ſpei eſt reliquum, ad rhythmum perveniri poſſe. Sunt autem pedes, vel accentus, vel temporis inæqualitas; quod ita, invitis licet omnibus noſtri ævi ſcriptoribus poëticis (non tamen forte VOSSIO, ut qui pag. II. opuſculi nitidiſſimi non temporis ſolum, ſed & elationis & poſitionis habendam eſſe rationem monet, ubi ſi per elationis verbum non intelligit accentum, ego eum non capio) aſſerere cogor, aut veritatem prodere: niſi accentum ad rhythmum quis referre malit, quod tamen ſatis commode fieri poſſe non video cum rhythmus ſit ex pluribus pedibus compoſitus, accentus vero, vel in biſyllabo obſervari poſſit. Teſtantur hoc vernacula noſtra poëmata, in quibus nihil frequentius eſt, quam integros verſus ex meris ſyllabis longis conſtantes legere, quibus tamen ſola recitatio verum conciliat rhythmum, ſublata alterne ſyllaba, ut vel jambus, vel trochæus videatur. Idem teſtantur tympana, in quorum pulſu rhythmum unice ſupereſſe, doctiſſimus VOSSIVS contendit, quorum ſæpenumero non tam ictus acceleratus tardiorve, quam altius immiſſus

missus conciliat illam diversitatem soni, quæ tanta cum efficacia concitat animos, accendit & percellit. Verum idem apertius multo testatur pulsus inæqualis arteriarum, qui, ut patet ex dictis, duplici modo spectari potest: vel enim in magnitudine, quam accentui comparare; vel in frequentia varius occurrit, quod tempori, & syllabarum productioni aut brevitati convenire existimandum est. De frequentia recte observatum est hactenus, in naturali pulsus constitutione systolem diastolæ æqualem esse oportere, (de quiete post subsidentiam arteriæ controversia nunc exulet) id quod etsi observari non possit, (neque enim systole digitorum sensui submittitur) nunquam non accidere existimandum, quia natura reciproci motus ita fieri postulat. Pendulum enim tantum in una, quantum in altera vibratione, tantumque in recursu, quantum in primo excursu consumit temporis, nec ad aliam normam lex omnium ex flexu motum reciprocantium exigenda venit. Quod si itaque æqualia sint pulsationis & quietis tempora, spondeum, qui e duabus longis constat syllabis,

bis, pulſus imitabitur. At ſi ab iſta perfectiſſima ratione corde diutius feriante, eundem vero pulſus modum ſervante, receſſerit, jambus naſcetur, vel trochæus, cujus altera brevis, altera longa eſt, & productior temporis menſura: hicque in ſimplici ex pulſationis & quietis tempore oriunda differentia numerus occurrit. Quod ſi eandem attendamus diverſitatem in magnitudine, eosdem pedes referri videbis ad accentum inita ratione. Si enim parvum pulſum magnus ſemper inſequitur, jambum imitabitur, adverſo vero modo ſi ſe habeat, trochæum referet. Sic enim triſyllabos pedes repræſentare poteſt: intercurrentibus enim perpetuo binis brevibus, inter duos longos, anapæſtum appellaveris, vel dactylum, ſi longi totidem duobus parvis interponantur, Baccius aut hyperbacchius erit; quemadmodum quidem pulſus frequentiſſimus æqualis meros Pyrrhichios aut tribrachyn continuatum conſtituit, & ſic in ceteris. Quemadmodum vero, ut modo oſtendimus, rhythmus ex pedibus his metricis inter ſe compoſitis conſtituitur, ita tum demum, ſi quid ſimile

in

in pulſu contingeret, verus rhythmus posſet appellari. Quoniam vero varia vocis acceptio eſt, ut probatiſſimis etiam ſcriptoribus pes, metrum, & rhythmus idem prorſus ſint, hinc vel ſoli ad pedes modo enarrato exacti pulſus numeri, rythmi nomine venire queunt, et ſic pulſuum inæqualium varietates in juſtam redigi poſſent ſcientiam, ſi inde ſperari aliquid aut pervenire ad nos commodi exiſtimari poſſet. Verum ego quidem valde vereor, ut ejusmodi conatus illi ſint, in quibus, quod operæ pretium ſit, fiat. Ad id enim opus eſſet, ut non tantum de τȣ̃ ὅτι, & tales pulſus reapſe in morbis obſervari, certa & indubitata conſtet veritas, verum etiam τὸ διότι minime eſſet ignorandum, ut ex eo, quid ſinguli ejusmodi pulſus rythmici ſibi velint, conſtitui poſſit. Haut immerito vero tam prius, quam poſterius humano ingenio patere, quis dubitaverit: non enim qu ſpiritus hos regit artus, in morbis ita ſib'i relictus eſt, ut liberrime & ex lege certa agere poſſit, multo minus morbi id præſtare idonei ſunt, qui toto genere præter naturam, nihil certi, nihil ordinati habent,

quod possit tales pulsationes efficere, adeoque hæc omnia tandem exhausisse, inutilis foret labor, ac nudum ingenii exercitamentum. Quapropter illis inhærere non est pretium operæ; quæ vero a me allata sunt, in id dicta velim existimes, ut tandem de ea rectius constet, & SENNERTI aliorumque in iis erroneæ opiniones pariter & lubricum rei totius fundamentum apertius conspiciatur, quo desinant tandem rei medicæ scriptores rebus incongruis ac vanis implere chartas, & eorum, quibus hæc ex præscripto addiscenda proponuntur, memoriam excruciare.

Restat ultima & præcipua hujus doctrinæ pars mihi excutienda, de significationibus pulsuum. Ut enim quæ hactenus disseruimus, ad naturam pulsus & causas pertinent, & ad Physiologicam partem referenda sunt, licet in illa adhuc comparere nondum sint visa, ita in iis inquirendis Philosophum egi: medicam utilitatem ad has ultimas pagellas reservavi; quod nisi istis probe perspectis, plena hæc & absoluta dari non possint. Sit igitur secundi Problematis

CON-

CONSECTARIUM.

De pulsuum significationibus.

Hoc postremum vero, etsi satis arduum videri possit, non tamen adeo magni, si modo hactenus non ducti sumus in errores, erit res laboris, ut non possit facile superari. Cum enim arteriarum motus, quem pulsum dicimus, ex impulsu sanguinis oriatur, hic autem ex cordis contractione musculari, tanquam prima origine proveniat, in aprico est, aliqua horum ex pulsu posse cognosci; minime tamen omnia: multo vero minus illa, quæ huc non pertinent. Quæritur ergo, quænam pulsus manifestet, quæ vero non? Ad quod responsio in facili est: cum enim pulsus sit motus, ea tantum cognosci per illum possunt, quæ a corde & sanguine fiunt, qua instrumenta sunt hujus motus. Ea autem esse in sanguine quidem tum quantitatem, tum ex parte etiam tenuitatem & crassitiem, in corde autem ipsum ejus motum, & a quo hic peragitur, robur, quilibet videt: ulterius autem, cum in corde ac sanguine

principium vitæ sit potissimum & unice collocatum, & hujus circulatio cum ea pari ambulet passu, undecunque tandem cordis ille motus tanquam a primo principio oriatur, certe principium vitæ, totaque facultas vitalis per illum dijudicari poterit: adeoque universum naturæ robur. Non autem nec sanguinis propria constitutio, nec spirituum animalium, nec viscerum reliquorum vitia, multo minus artuum, quæcunque tandem illa sint, ex pulsu fieri poterunt manifesta, nec reliquæ affectiones, quæ in sanguine nidum suum habent, tanquam in subjecto caussæ, ut quidem loquimur. Nam quod Galenus putavit, & cordis ipsius intemperiem, & aliorum quoque viscerum, quia cor iis affectis trahatur in consensum, ex pulsu etiam manifestari, in eo haut parum deceptus est: nam utrumque horum suppositorum falsum est, & intemperies illa æque ac consensus prorsus nullus. Unde etiam in enarrandis pulsibus illis admodum friget ipsius oratio, quod librum III. & IV. de Præsag. ex Puls. expendentem non latebit. His positis primo statim intuitu apparet, inane esse

eſſe commentum, & rerum naturæ e diametro adverſum, quod de Sinenſium medicis nonnulli, qui ejus regionis deſcriptionem dedere, narrare ſolent. Ajunt iſti, ubi ad ægrum vocati accedunt, lecto aſſidentes, per horæ dimidium nil agere quam ut pulſum explorent: quo facto, totius morbi initia, cauſas, ſingularumve dierum accidentia ac ſymptomata omnia ad illam usque horam quæ contigerint, quam accuratiſſime enarrare. Quod ſane niſi magicis artibus ab ipſis peragatur, aut fraude, quam ſit ἀδύνατον, cum nulla horum omnium cum pulſu poſſit eſſe cognatio, nemo eſt, qui non queat cernere: maxime quoniam ubi ad curationem accedendum eſt, (quod iidem ſcriptores teſtantur) nihilo ſint noſtratibus feliciores. Quod ſane ſecus fieri fas erat, ſi iſta omnia ex arte callerent: ſine cauſarum enim cognitione id fieri non poſſet, quas qui novit, niſi in methodo aut facultatibus medicamentorum pernoſcendis ſit plane rudis, facile is ſane morbum quemcunque e medio ſuſtulerit.

Sed neque ex altera parte Bellinio noſtro fides habenda eſt, dum pulſum om-

nino fallacem & incertum indicem esse, it persuasum: nihili enim sunt rationes, quas affert in medium, & fallaces ipsæ. Dum enim ait per ætates, temperamenta, animi & corporis motum, somnum &vigiliam, anni tempora, regiones, & tempora post pastum diversa, etiam in naturali statu omnes pulsuum differentias in diversis hominibus reperiri, (quod ex Galeno videtur primum fluxisse, qui Libello ad Tyrones has omnes differentias tradit) in eo sane prorsus est falsus. Neque enim tanta est, quam hæc inferunt, pulsuum diversitas, (quod ipse videtur supponere) aut ad omne pulsuum genus ita conformata, ut isti recessus discerni non possint, aut peritum medicum fallere. Solus animi corporisque motus videtur ad febrilem pulsum propius accedentem producere; ex quo tamen nulla pulsus nascitur incertitudo, cum corporis motus ex respiratione, animi vero ex aliis manifestissimis signis statim in oculos incurrat. Neque excusationi locus est, quod dixerit *ex se, & ex pulsu solo*. Nihil enim causæ erat, cur ob tam leuem & puerilem, si quis eam afferret, objectiunculam, quæ merum est sophisma,

ma, totam pulsuum rationem suspectam redderet, quippe cum hinc neutiquam sequatur, quod mox subjungit, non posse cognosci, sitne in hoc, vel illo homine pulsus non naturalis nec ne. Quis enim nescit a medicis exigi, ut in carpi tentatione non quodlibet tempus aut quævis occasio imprudenter arripiatur, sed observentur leges artis; quod sane in omnibus rebus atque artibus fieri necessum est, nisi quis falli amet: non tamen propterea licet de omnium artium earumve axiomatum veritate statim dubitare, illaque pronunciare incerta. Et vero quid Bellinio acciderit nescio, me pulsus per integros duodecim annos medicinam facientem nunquam adhuc fefellit, sed sæpe tantam peperit mihi animi certitudinem, ut diem ipsamque horam mortis, ei soli confisus, sim ausus prædicere, & in illo quidem vix unquam temere, in hoc vero non raro etiam eventum expectationi geminum habuerim. Ejusmodi sane crude adeo prolatæ sententiæ plurimum discentium animos turbant & quidem injuria, ansamque porrigunt cavillandi artem nostram obtrectatoribus non le-

levem, itaque omnino reprehensione dignæ sunt. Sed quid opus est pluribus? ad ipsam accedamus rem, & ostendamus reapse asserti hujus vanitatem, pulsumque ab hac injuria per sui ipsius dignitatem vindicemus.

Ut vero ea, quæ diximus, ex pulsu dijudicari nunquam non posse, modo absit occulta malignitas, (de qua tamen aliunde potest nobis constare) est longe certissimum, sic fortassis etiam plura licet ex eo conjicere. Ista enim, vel solus magnus ac parvus nobis indicant: est autem pulsus insuper adhuc & celer & frequens. Et vero optandum esset, non tantum cordis motum, sed etiam varii illius motus primas causas nobis magis esse apertas. At causam primam motus cordis nemo adhuc, vel Medicorum, vel Philosophorum ex cœtu repertus est, qui nobis manifestaverit. Quamdiu vero istam ignoramus, a quo quid pati aptum sit, sciri non potest. Valde autem vereor, ut ejus exactam notitiam unquam acquiramus: sufficere ergo nobis debet ad eam quam proxime si possimus hariolando accedere. Qua de re, quid mihi sit comper-

pertum, & in quo putem esse acquiescendum iis, qui cum moderamine & modestia sapere cupiunt, libere edisseram: ea tamen lege, ne quisquam ulterius progrediendi spem sibi his præclusam autumet. Pro mei enim exilitate ingenii, cujus mihi satis sum conscius, hæc a me prolata esse, velim intelligi.

Primum itaque facultatem illam insignem, quo cor se movet tam strenue, tam ordinate, tam constanter, ita ut nullum remittat tempus, quamdiu sumus in vivis, id est per annos in grandævis prope centum, insitam illi esse arbitror & connatam: eo potissimum persuasus Peripathetico, quod antequam cerebri, vel nervorum corpora perficiantur (supponamus enim jam, simul rudimenta omnium partium in ovulo adesse) punctum saliens se movere, vitæque choream incipere videatur; nam sanguinem hoc esse merum, cum celeberrimo HARVEO non autumo. Et hanc quidem pulsandi vim unde habeat, ignoramus, nec licet ulterius progredi. Facultatem Galenus vocavit, non quod nudam qualitatem esse crediderit, uti quidem improbi ejus obtre-

 tre-

trectatores, qui ubique eum ſugillant, legunt nunquam, ex ignorantia aſſertum eunt, ſed quia deerat verbum, quod melius rem declararet. Ita enim l. *de cauſis pulſuum*, *ſcribit*: *Quam quidem licet ejus eſſentia nos fugiat, quod facultatem tamen habeat faciendi pulſus, illam facultatem vocavimus.* Sed in id inquirere neque noſtrum eſt, neque ad rem attinet, ſed ad Philoſophos: Nos contenti eſſe poſſumus, ſi ſciamus, quæ pulſum alterent: uti id quidem peregregie citato loco oſtendit Galenus, eſtque dignus, qui illis, vel invitis, conſulatur. Ut autem primam eam pulſus originem nec ſciam, nec cognoſcere multum laborem; illud tamen & ad præſens negotium puto eſſe utile, & mihi videor ſic ſatis habere perſpectum, cor omne ſuum robur ſanguinis copiæ & qualitati ferre acceptum, maxime vero copiæ, & prout hæc ſeſe habet, vel alacrius moveri, vel languidius, nec unquam cum multo ſanguine debilem, vel cum parvo fortiorem ejus motum conjungi poſſe. Quod non experientia duntaxat me docuit, ſed ipſamet etiam ratio confirmat, ſi a poſteriori rem

in-

intueamur: Quo enim major est sanguinis copia, eo majorem esse illius, qui in arteriis est, resistentiam necesse est: quo major vero hæc resistentia, eo majore opus est robore ad eum propellendum, alias enim stagnaret; robur autem illud in corde est. At nunquam stagnare deprehenditur, sensim enim in arteriis auctus cor tandem opprimeret. Concedendum itaque omnino est, magnam sanguinis copiam cum cordis debilitate consistere non posse: & cum eadem sit ratio contrarii, idque iterum experimento respondeat, nec cum parua robur jungi.

Quod tametsi ita se habeat, non tamen & hoc asseruerim, quotiescunque tandem vehemens cordis pulsatio deprehenditur, ibi magnam etiam adesse sanguinis copiam: aliud enim ostendit motus ejus convulsivus, & cordis palpitatio, hystericis ac hypochondriacis exsanguibus etiam superveniens crebro. Nondum præteriit mensis alter, quod epilepsia laborantem puellam novemdecim circiter annorum, nunc restitutam, curavi in hoc ipso oppido, quæ diebus quindecim, quibus decubuerat, vix tantum cibi,

bi, vel potus assumserat, quantum alia soleret in una levicula cœna, adeoque non poterat jam esse instructa multo sanguine, vehementissimas tamen quovis paroxysmo cordis patiebatur palpitationes. Verum hæc nihil me movent: cum a nervorum fluido plurimum quidem cordis naturalem motum posse turbari, multumque sibi id in eum vendicare potestatis, inde elucescat quidem, non autem totum hoc, quantumcunque est, ex eo cordi communicari, justa sequela deduci possit: plane enim alterius generis hic motus est, quam est naturalis cordis motus, unde nec pulsus cognomen ipsi jure tribuitur, sed qui ejusmodi nobis experimenta naturæ opponet, committet μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος; quod Logices periti fieri vetant.

Firmo igitur stat talo assertio mea, nasciturque nobis iterum hoc de principio motus cordis assertum, seu

CONCLUSIO I.

Cordis robur omne ad pulsum edendum a sanguinis copia primo, dein ab ejus qua-

qualitate, verum id ſecundo loco, omnino dependet.

Utinam vero de celeritatis & frequentiæ cauſa æque certa afferre poſſem, quorum prorſus aliud videtur conſtituendum principium. Experientiam enim ſi conſulimus, non modo hæc utplurimum conjungi reperimus, quare & junctim de iis ago, verum etiam variis de cauſis accidere, maxime tamen in recte valentibus ab animi commotione; in ægris a calore interno. Et celeritas quidem vel robur cordis, vel inopiam ſanguinis videtur ſupponere ut conditiones neceſſarias, frequentia vero neutrum horum, quin potius iſta, utroque deficiente magis ac magis augeri cognoſcitur, ut in eo videantur quam longiſſime diſſidere. Suspicio autem ex his, nervorum fluidum ſpirituoſum multo plus quam ipſum ſanguinem ad utrumque conferre. Ejus enim, vel ſi vis, animalis ſpiritus potiſſimum opus eſt cogitatio, quæ nihil aliud eſt, quam motus horum ſpirituum in cerebro, adeoque & animi commotio, quæ citra cogitationem nunquam accidit, eos auto-

autores habet. Nihil tamen adhuc ea de re certi ſtatuere licet: experimentis enim pluribus deſtitutus nondum rem omnem habeo exploratam; intra terminos igitur anguſtiores includam ſententiam, & dicam, quod certum eſſe autumo, nempe utramque hanc motus affectionem ab irritamento eſſe, vel agitatione & contentione naturæ. Alteram tamen magis ad ipſum cor pertinere arbitror, alterius vero in ſanguine potius hærere causſam. Celeritas enim etiam nulla ſanguinis labe, ſed vel a calculo, vel polypo, vel alio impedimento propius cor afficiente efficitur quam frequentisſime: creber autem pulſus vix niſi cum iſta, maxime in febribus omnibus obſervatur. Commoveri tum igitur ſanguinem ab interno principio, & ad frequentem pulſum edendum concitari credibile eſt, ſive illud jam fermentationem, ſeu inteſtini motus vitium cum quibusdam appellare malis, quibus nominibus, diverſis licet, idem tamen negotium deſignari exiſtimo, idque ſic ſatis commode, multoque commodius, quam per primi elementi Carteſiani tranſitum impeditum, in

quo nonnulli mire adeo hodie ſibi placent, explicari arbitror, quicquid de eo etiam denique ſtatuatur. Irritat autem tunc ſine dubio cor ipſe ſanguis, uti alias, dum in corde eſt motus celerioris principium, animalis nuncupatus ſpiritus concurrit.

Hæc habui de cauſis horum, quæ afferrem, plura de iis perſpecta habere dæmones, experimento certior ſum factus, quod horum aliquem Patavii, in obſeſſo ſub altari celebrati illius Antonii detento, qui Patavini cognomento hinc notus eſt, quoties divinus Antiſtes nomine ſanctiſſimi Salvatoris injungebat, ut febrim in ipſo excitaret, pulſum talem frequentem & celerem concitaſſe illico, ejusdem vero nomine interminante ſacerdote, jubenteque ut febrim faceret ceſſare, in momento ſtitiſſe iterum naturalem, compertum habeo. Eum igitur, ut ſuum genium CARDANUS, aliquis ſuper hac re conſuleret fortaſſis: quamvis an vera extorquere ex eo poſſit, adhuc dum foret meo quidem judicio incertus. Interea & plura de his aliquando, illucente mentibus noſtris divina gratia, reperiri poſſe,

posse, ex eo spem esse reor. Quod dum fiat, ratum interim esto:

CONCLUSIO II.

Celerem pulsum a contentione cordis ab aliqua re irritati provenire.

CONCLUSIO III.

Frequentem ab eadem, sed sanguinis interna commotione conspirante suscitari.

Quibus ita admissis, rectius forte & plenius nunc de significationibus ex pulsuum diversitatibus petendis poterimus disserere.

Sponte autem elucescit, pulsum ad naturalem quam proxime accedentem semper esse maxime securum: qui autem ab eo nonnihil recedit, modo absit malignitas, non admodum eum esse damnandum; uti quidem vel in sanis etiam, quod concedendum utique est, ejus turbari rationem, non est insolens, & jam a nobis ostensum. Est enim cor nostrum res valde mobilis, & quae a levissima re potest affici, a nulla tamen facilius, quam animi

animi motibus. Quod elucet etiam ex obſervatione GALENI, quam habet.* *Qui expergiſcuntur*, ait ibi, *e veſtigio pulſus magnos, vehementes, celeres, crebros, & cum quadam vibratione habent, qui mox mediocritatem aſſequuntur.* Id quod certiſſimum eſt. Neque tamen, ut de facultate vitali hæc teſtantur, ita etiam de univerſa valetudine inde conſtare poteſt. Utpote cum in omnibus illis morbis, qui vel in aliis viſceribus, vel corporis extremis extant, ut quidem oſtendimus, niſi cum ſanguine communicetur malum, nihil ex pulſu colligi poſſit. At ubi mutatio fit ſatis notabilis, quod peritus Medicus admota manu facile dijudicat, tum vero a ſtatu naturali recedere eum putandum eſt, quod tot accidit modis, quot eorum a nobis ſupra enumerati ſunt.

Prima autem circa ſimplices, altera circa reliquas, ſimplicibus ſuis ſubnectendas ſollicitudo noſtra occupabitur.

I. *Pulſus* igitur *Magnus* cum cordis robur & ſanguinis copiam cauſas habeat,

* *Lib. de Pulſ. ad Tyr.*

ambasve requirat, primum inde de naturæ constabit viribus, quas maximas prodit, sed simul eandem sanguinis abundantia onerari, constare potest ex iis, quæ supra ad Problema II. dicta fuerunt. Circumspectione tamen opus est: cum enim secundum definitionem V. sanguis sit liquor, a calore expandi aptus, fieri potest, ut ab ejus etiam excessu pulsus magnus oriatur: quod ad cognoscendum tactus in subsidium vocandus est. Et vero in febrium omnium initio hinc potius, quam a nimia copia turgere venas, pulsuve magno insignes esse, est in aperto, etsi simul & plethoram adesse non repugnet, quæ duplicatam constituit magnitudinem.

II. *Parvus* cum is sit, quo parum attollitur arteria, a solo sanguinis ad eam allisu ortus, jam non potest cum multo sanguine unquam fieri. Ab hoc autem, quoniam cordi robur omne accedit, simul & hujus debilitatem, & illius paucitatem, adeoque vitalis facultatis fractam firmitudinem notare eum necesse est.

III. *Celer* cum ex varia oriatur causa, non unum significat. Ut enim alias etiam

motus

motus celeritas nulla esse potest, si robur deficiat, ita & cordis velox motus & promta contractio non potest esse sine viribus contrahentium se fibrarum, sed absque illis omnino languesceret. At vero & sanguinis tenuitas ac inopia, cum nulla renitentia ei obsistat, in causa esse poterit. Ergo vel robur cordis, vel sanguinis inopiam, vel tenuitatem ejus facit manifestam: quodnam vero ex his, ex eo patebit pulsus modo, cum quo componitur, ex quo etiam, quando ab incitatione quadam velocitatem cordi conciliari putandum sit, patefiet.

IV. *Tardus* contrario se habet modo. Vel igitur copiam sanguinis nimiam, (quod etiam in Problematis II. resolutione ostendimus) vel crassitiem ejus, vel cordis debilitatem denotat. Semper autem ab incitamenti istius, de quo modo, formidine liberat.

V. *Frequens* ex allata Conclusione III. nunquam non ab agitatione aliqua & contentione totius naturæ inducitur, quo minus enim cordi soli competat & adscri-

batur irritato, facit experientia, qua constat, nunquam alias (nisi oriatur a spirituoso illo fluido, de cujus potentia in cor ex supra allatis reddimur certiores,) quam cum intestino sanguinis motu eam esse obviam.

VI. *Rarus* calore & febre vacantem ægritudinem, & sanguinis fermentationem omnem, spirituumve tumultum abesse; quin circa hæc tranquilla omnia significat.

Habes simplices pulsuum affectiones, nunc compositorum significatis eruendis operam dabo.

I. *Magnus & celer* vehementem constituit. Hic cum & ratione magnitudinis, & celeritatis de viribus cordis & liquoris vitalis justa testetur copia, omnium securissimus est, etsi adjuncta celeritas citatum cordis motum simul, neque eum sine irritamento malo fieri denunciet. Quotiescunque scilicet cum magno juncta est celeritas, prodit causam suam primam, quam Concl. II. protulimus: non igitur frustra a natura concitatior editur, sed ut vicissim Medici vigilantiam excitet,

mo-

moneatque, ſit animo præſenti, & intento in rem: latere enim hic aliquid mali. Et quidem ſi ſimul calor adſit, & pulſus frequentia, febrim non inſtare, ſed jam adeſſe & urgere, abſente vero febre & calore, cor irritari a quodam inſito & occulto malo, nunciat.

II. *Magnus & tardus* robur cordis integrum, ſanguinisve magnam ſatis copiam, at ſimul pondere vel craſſitie ſua moleſtam, gravantemve reddit manifeſtam, ut jam tum num. 17. Probl. II. oſtendimus.

III. *Magnus & frequens* vix citra celeritatem unquam obſervatur. Hinc febris præſentiam certo indicio prodit, quoties calor ſimul adeſſe deprehenditur. Ubi vero is abeſt, nervoſo fluido turbari cor, adeoque convulſivos pati motus, ſigno eſſe ſolet.

IV. *Magnus & rarus* certum indicium præbet, calorem abeſſe a morbo, & viribus valere ægrotum, ſed opprimi fortasſis, aut in anguſtiis eſſe virtutem vitalem, tantoque magis, ſi ſimul ſit celer.

V. *Parvus & celer* sanguinis inopia licet non magna laborare venas, cor autem robustum esse fidem facit. Hinc in febribus intermittentibus, immuni ab insultu intercurrentibus diebus ægro, si diuturniores sint, observatur, itemque in continuis post statum, ubi tandem in parvum & tardum consumto reliquo sanguine terminatur. Non enim diu hic potest consistere, sed vel in melius, vel in deterius cito mutari solet.

VI. *Parvus & tardus* non occurrit in gradu notabili, sufficit si celeritas a parvo absit: tum vero debilis nascitur. Hic ex defectu cruoris cor debilitatum, naturamve prostratam, & spem in angusto esse nunquam non tristis obfirmat nuntius; nisi tamen ab oppressione est maligna, vel hysterica, aut similis notæ infesta naturæ causa, aut post multum laborem anxietatesve superveniat, sensim enim iste ad pristinum redit vigorem.

VII. *Parvus & frequens* non citra celeritatem esse solet, qui enim subito recurrit, cito etiam decurrat spatium necesse est. Itaque fere & febrim, & dejectas

ctas vires monſtrat, citatove ac præcipiti gradu ad inferos ægrum tendere. Eſt enim ex his, qui vel in myuros, id eſt vix ſenſibiles deſinunt, vel debilem proxime præcedunt. Nunquam ſane vidi ego cum tali quenquam ad priſtinum ſtatum rediiſſe, & eſt frequentiæ cum parvitate quidam motus, quem ubi pulſus exceſſit, ſpem omnem præciſam certo certius indicat: me quidem usque adhuc nunquam fefellit. Verum iſtum depingere aut ſcripto tradere non licet, ſed crebra in praxi clinica obſervatione addiſcendus eſt.

VIII. *Parvus & rarus* & ipſe rarus eſt, itidemque collapſas naturæ vires & abitum meditantem ſpiritum ſolet indicare, eſtque plerumque occulte intermittens, cum natura a ſolita frequentia, cum paucus ſanguis pellendus eſt, deſciſcere vix conſueverit.

Et hæc habui, quæ de abſolutis pulſuum diverſitatibus in medium afferrem. Quæ uti & ſolidis antea allatis fundamentis innituntur, & experientiæ reſpondent; ſic multo certiora illis, ut ſpes eſt, eſſe

 de-

deprehendes, (np. WEDELIUS, ad quem hæc olim perſcripta erant) quæ alias ſolent de iis perhiberi. Utrum augeri emendarive poſſint, Tuum, Vir expertiſſime, erit judicium, a quo ut dudum, ita deinceps etiam pendere atque inſtrui non recuſabo, imo ut id facias, etiam atque etiam rogo. In malignis febribus nihil certi ex pulſu colligi poſſe, vulgi opinio eſt: Ego vix ambigo, illud ipſum, quod naturalem imitetur, aut oppreſſus ſit maxime, eſſe a coagulatione & craſſitie ſanguinis.

Ex reſpectivis pulſuum ſic dictis differentiis vix duas ſervavi, repudiatis reliquis omnibus; inæqualitatem ſcilicet in magnitudine & crebritate. Has enim ſufficere prudenti rerum æſtumatori exiſtimo, poſteaquam nullum in his naturam aut morbum ſervare ordinem & rhythmum, oſtenſum eſt. De his autem conſtat, utramque ſine periculo præſentaneo non raro deprehendi. Cujus egregie obſervationis Te, ni fallor, auctorem habemus. GALENUS enim cum * in ſenibus & imbecillibus obſervavit, ſervari eos poſſe, ſed

* *Lib. IV. de Præſag. ex Pulſ.*

ſed non ſine difficultate maxima, eo ipſo periculoſos eſſe, declaravit, addens etiam, inæqualium pernicioſiſſimos eſſe intermittentes, cum quibus juvenis ne quidem ullus evaſerit: Tu, ni fallor, in juvenibus etiam omnino facillime ſervatis vidiſti. Et vero in tertianis ego quoque idem ſum expertus, & poſſem geminus ejus rei tecum teſtis aſſurgere. Sic autem arbitror: Quoties cum pulſu magno & vehementi juncta deprehenditur inæqualitas, & malignitatis ſuſpicio ſit procul, nihil diſcriminis habere; & ſi hæc adſit, non tamen eſſe tales pulſationes lethales, ſed laborantem tantum ſub morbi onere naturam indicare; ubi vero pulſus parvus eſt, ac imbecillis, vel ſimul magnitudine inæqualis, quocum uno & ſolo eum obſervari, mihi videtur ſupponere GALENUS, cum tali vix quenquam ſervari, utique illi concedendum exiſtimo. An acu rem tetigerim, & in quibus omnino morbis ſe exhibeant, a Tua exſpecto inſigni peritia. Sane equidem nondum explorata hæc eſſe atque comperta artificibus arbitror, & vellem diligentius annotari, quid ſuus quemque

 uſus,

usus, docuerit, eum in modum, quo videmus fecisse GALENUM (*), ubi si omnia ex rei veritate essent tradita, res foret mire proficua. Et hic quidem venit mihi in mentem diligentissimi ac celeberrimi MALPIGHII observatio, qui (†) pulsus inæqualitatem (de ea, quæ in magnitudine est, loqui videtur) esse ex obstructis pulmonum vasis asseruit. Quod si ita est, uti quidem mihi per videtur verosimile, non tantum ob viri summam auctoritatem, sed etiam quia rectæ rationi cumprimis consentaneum est, crassitiem, & coagulationem sanguinis inde licebit certo colligere.

Atque ex hoc rursum firmitudinem accipit ac fidem eorum placitum, qui malignitati coagulationem sanguinis comitem perpetuum esse mecum existimant. Pulsum enim intermittentem non minus quam inæqualem, aut naturali proximum, aut in principio statim præter rationem exilem malignitatis notam

(*) *Libr. de Pulſ. ad Tyron. & de Cauſis Pulſ. Libr. IV.*
(†) *Epiſt. de Pulmonibus.*

tam esse, experientia docti Medicinæ antistites omnes consentiunt. Quandoquidem igitur & hic, ubi periculo vacat affectio, adeoque malignitas abest, coagulatio pulsum cogit intermittere, hinc ejus in universum causæ datur existimandi copia, quam illam esse conjicitur. Malignitatis enim documentum fieri intermittentem non alia gratia apparet, quam quia coagulatio ei adjuncta est. Idem vero mirifice confirmant illæ nunquam non simul occurrentes angustiæ, respirandique difficultas, quæ febres ejusmodi malignas tam individue comitantur, ut etiam ad pathognomonica ejus constituenda concurrant.

De pulsu autem intercurrente recte dixisse GALENUM arbitror, naturæ laborantis, sed cum morbo pugnantis signum esse, adeoque sæpe judicationem attulisse. Cæterum de pulsu inæquali idem, quod MALPIGHIUS, & ipsum sensisse deprehendes, si evolvere non grave fuerit (*).

Et

(*) *Libr. IV. de Præsag. & Puls.*

Et vero quid vetat, quo minus illa ipsa verba apponam, Teque B. L. ab hac aliunde ista petendi molestia liberem? præsertim cum obscuriora sint paulo, & desiderent fortean illustrari. Sunt autem ista, CRUSERIO interprete: *Ad aliud propero genus, quod ex fluxione dixi oriri. Communem habet hoc omnium inæqualitatem pulsuum. Obstruuntur enim facile, & constringuntur, atque comprimuntur per eas fluxiones principes arteriæ. Nec minus ob humorum copiam majorem facultate: quod scilicet tam conjunctim pulmoni cor sit, & confluxum habeat per magna ostia. Ac inæqualitas quidem communis est omnium fluxionum, quæ impingunt in pulmonem, eaque nunc major, nunc minor est, pro crassitudine & abundantia.* Vides ipsum arguentem obstructionem vasorum pulmonalium, quod inæqualitatem pulsus efficiat, & quidem fluxionem pulmoni incumbentem hujus rei causam esse, quam duplicem recenset: unam desuper in ipsos pulmones, serosam vel quæcunque tandem opplere pulmonem possit, de

qua

qua dicit *comprimi & constringi* principes arterias; alteram ipsius sanguinis ex corde influentis nimia copia, quo pertinent reliqua: *Humorum copia major facultate, & quod tam prope conjunctus cum corde sit pulmo, & confluxum habeat per magna ostia.*

Quibus nihil poterat dici aptius ad illam inæqualitatem intermittentis pulsus significandam, quæ in juvenibus robustis citra periculum deprehenditur: utpote quos summe plethoricos esse, vel crasso sanguine laborare non est dubitandum. Haut paulo latius vero extendit GALENUS inæqualitatis causam, ad omnes fluxiones eam pertinere asserens, de quo dubito, & expendendum accuratius esse arbitror. Saltem in tussi & phthisicis, qui inter initia cum defluxionibus perpetuis sæpe satis diu colluctantur, intermittentem pulsum nunquam videor observasse.

Et hic jam possem acquiescere, nisi ad novam disquisitionem me invitaret clarissimi BELLINI assertum, quo HIPPOCRA-

CRATEM fuisse perquam diligentem pulsus observatorem vult nobis persuasum. Quod an veritati sit conveniens, non arbitror Tibi ingratum fore, si paulo diligentius indagem. Non autem nudius tertius demum hæc res in quæstionem venit, sed jam olim doctissimis viris varie est disputata atque ventilata. THEOPHILUS *Græcus Medicus*, in libro de pulsibus in hunc ferme sensum scribit: HIPPOCRATES, *divinus Medicus, pulsuum notitiam non habuit, sed latera & frontem manu contingebat*. Cui concinens GALENUS (*) eodemque ultimo, HIPPOCRATEM *nihil de pulsibus tradidisse*, inquit; quanquam sibi non constans (**). HIPPOCRATEM *omnium primum, quod ipse sciverit, nomen pulsus scripsisse, neque eam, quæ in eo est, artem videri ignorasse*. Taceo alios, quibus, prout videntur amori divini senis plus aut minus dedisse aut indulsisse, modo hoc, modo aliud visum est asserere. Interea loci non sine causa opinor GALE-NUS

(*) *Libr. de Crisib. III. cap. 11.*

(**) *Libr. de Gener. & Diff. Puls. cap. 1. scribit.*

NUS usus est ambigua loquendi formula, dixitve eum artem illam *non videri* ignorasse: ostendit enim hoc ipso, non satis se fuisse certum, ut absolute assereret. Quibus si addas loca, ab ipso BELLINIO adducta, quam in partem inclinaverit potius, clarissime apparebit. Quæ profecto ejus dubitatio haut parum rem omnem reddit suspectam. Si enim is, qui HIPPOCRATEM tam legit diligenter, ut nullus alius, & summo cum judicio, quin & permultos ejus libros commentario dilucidavit, certa doctrinæ de pulsu vestigia non potuit deprehendere tum temporis, non fit verosimile, repertum iri, qui hodie id possit. Sed videamus tamen illa, quæ doctissimus BELLINUS nobis offert loca, quo ea de re securius pronunciemus. Quæ sane omnia sunt talia, ut pulsum quidem aliquando fuisse HIPPOCRATI animadversum ostendant, doctrinæ vero de pulsibus, hujus quidem, de qua hactenus egi, aliquam eum notitiam habuisse, longissime abest, ut ullum faciant indicium. Quæcunque enim adducuntur, non de pulsu natu-

naturali & a Medicis obſervari ſolito loquuntur, ſed illo, qui prorſus præter naturam ſe exhibet. Nam quod ad primum attinet, ex *Prognoſtico* allatum, qui alias, Liber aureus, omnibus reliquis ejus argumenti longe præferendus eſt, quis non videt, quoniam *perturbationem animi aut delirium indicare* dicitur, *ſi in præcordiis obſervetur*, præternaturalem eum deſignare, cum ibi nullo non tempore continuo cor ſeſe exerceat, & indefeſſo palpitet motu? Dicat aliquis, eum hic velle intellectum pulſum vehementius concitatum: Ergo primum eſt falſa illa aſſertio. Non enim omnis pulſus vehemens delirium portendit. Deinde cur non addidit: Majorem quam eſſe ſolet, vel magnum, vel elatum, aut aliquid ejusmodi? Denique cur in præcordiis eum vult obſervari, & non potius in carpo, aut in temporibus, niſi hæc invicem commercium alere, & eſſe unum eundemque ignoravit: aut potius, niſi longe aliud quid voluit ſibi, quam pulſum vehementem cordis deſcribere, cum alias longe facilius in modo nominatis partibus ſentiretur: in præ-

cordiis

cordiis igitur quod dixit, satis ostendit, aliquid plane inusitatum ibi eum observasse. Sane ex his apparet, aut HIPPOCRATEM non nisi in deliriis cor pulsare autumasse, aut aliud quid in præcordiis deprehendisse, palpitationem nimirum quandam toto genere præter naturam, ubi delirium institit: utrumque autem æque facit ad ostendendum, veram pulsus rationem ipsi fuisse ignoratam.

Idem plane sentiendum de eo, quod *ex Coacis* quarto adducit loco, *num. 282.* utpote quod plane cum hoc consentit, & ex uno in alterum librum videtur transscriptum, uti quidem pleræque in Coacis extantes sententiæ alibi etiam in Scriptis HIPPOCRATICIS leguntur. Verum etiam quod tertio loco legitur *ex iisdem, num. 128. Si venæ temporum pulsent in febribus, longum fore morbum, &c.* ejusdem est ordinis: Quis enim nescit, in omnibus febribus, imo & extra eas omni vitæ tempore venas temporum pulsare? Quod si scivisset HIPPOCRATES, non in quibusdam

tantum, longis videlicet febribus id fieri pronunciasset: ut nihil dicam de ipso, quod inde format, prognostico. Nam neque hoc fecisset, si vel leviter perspectam habuisset rationem pulsus naturalis in corpore.

Quod quintum adducit, *ex II. Epid. Qui venæ in cubito conspicuum pulsum habet, is furibundus, in acerbam iracundiam facile præceps est*, iterum præter omne naturæ institutum fieri, neque ad pulsum nostrum pertinere, sed plane esse præternaturale quid, perspicuum est. Et quid dicam de his: *Vena quæ ad splenem est, in cubito distendebatur*: quæ ex eodem libro attulit: quod HIPPOCRATIS non in his tantum, sed anatomicis in universum ignorantiam prorsus ostendit. Quænam enim in splene vena est, ad cubitum extensa? Ecquis sequentium seculorum decursu unquam, non dicam hoc observavit fieri, sed omnino in cubito aliquam venam pulsasse? Sed forte eam intellexit, quæ in carpo micat: quid ergo vult illud distendi? an pulsasse innuit?

nuit? quid opus erat monere, si non ignorabat, ex perpetua id naturæ lege fieri. An aliud? quid ergo ad nostram id facit controversiam? an ex talibus colligere licet eum pulsus notitiam habuisse?

Porro ex *V. Epid.* quæ profert: *Tempora non admodum pulsabant*, nihil minus mihi videntur velle, quam quod vult clarissimus vir. Non scilicet pulsum imminutum depingit HIPPOCRATES, sed auctum, verum id leviter. Præmittit enim: *Febris parva.* Ubicunque vero febris adest, ibi nunquam pulsus imminuitur, sed fit major, præsertim initio. Accessit autem febris tertia die, ut solet in ejusmodi. Sed neque unquam observatur pulsum minui a compressione cerebri cum febre: quod experientiam consulentem non potuisset latere. Ex eo igitur nimis manifesto licet colligere, HIPPOCRATEM non nisi auctam p. n. pulsationem temporum & hic intelligere, atque alibi spectasse.

Longe vero nos certiores reddit ejus rei alterum illud *ex VI. Temporum venæ non consistentes.* Quas non aliter accipi posse quam pro pulsantibus arteriis cum agnoscat ipsemet BELLINIUS, quid multis est opus? Putavit ergo HIPPOCRATES, easdem non pulsare, sed consistere, si non futurus sit in articulos decubitus, adeoque quoties pulsarent, invita natura id fieri censuit. Quibus sane non video quid possit esse magis apertum.

Librum de Humoribus potius esse collectoris cujusdam HIPPOCRATICI, quam ipsius HIPPOCRATIS, cum aliis viris doctis plane persuasus sum; sed demus clariss. BELLINIO, eum non mentiri auctorem suum, non tamen, quum dicit pulsum observandum, constat, eum naturalem pulsum intellexisse. In tam obscura enim scriptoris brevitate id non licet dijudicare, præsertim cum eodem loco multa alia prorsus præter naturam contingentia observare jubeat, ipsosque etiam vermes. Potuissent & plura ejus-

ejusmodi teſtimonia acervari, ut *VII. Epid.* σφυγμὸς ἐν κροτάφοισιν ὡς λεπτῆς θερμῆς, & *VII. Aph.* 21. ἐπὶ ἰσχυρῷ σφυγμῷ ἐν τοῖσιν ἕλκεσιν αἱμοῤῥαγίη, κακόν; ſed quæ nihilo plus ad rem facere videantur, cum plane ſint ex eorum numero, de quibus prudenter pronunciavit GALENUS. (*) *Hoc modo quando legimus apud veterem aliquem Medicum, ſolam pulſare inflammatam partem, aut motum tantum inflammatione arteriarum eos pulſum appellare, in corpore autem ſano hoc vocabulo uti nunquam, non omnem motum arteriarum colligimus, ſed aut magnum, aut vehementem, aut quem ipſe poteſt ægrotus animadvertere, pulſum vocari.* Quibus utique HIPPOCRATEM adnumerandum eſſe, ex dictis patet. Quare cauſa nulla erat, quod his talibus fiſus teſtimoniis noſter, contra viros pereruditos quamplurimos non aſſereret tantum, *Hippocratem* pulſus doctrinam cognoviſſe, ſed & illos blateraſſe ajat, ubi contrarium ſtatuere: quod ſane verbum poſſet æquos animos non leviter offendere.

(*) *Libr. de Diff. Pulſ. IV.*

dere. Equidem ex eo, quod de pulsibus nulla nobis reliquit *Hippocrates* præcepta, & cum de febribus alias tam prolixe, tam frequenter, & in innumeris locis agat, omniaque, vel rarissime contingentia tam sollicite prosequatur ac pene superstitiose, nihil tamen unquam de pulsibus ne verbulo quidem ullo tetigit, firmiter satis, ni fallor, colligitur, eum omnem hanc rationem ignorasse: cum ex nulla alia re certiora non in his tantum, sed omnibus omnino morbis salutis aut mortis indicia petere liceat.

Qua in sententia etiam fuit *Ludov. Mercatus*, & socer meus, *Herm. Conringius*, vir, si ullus alius, in antiquorum libris versatissimus, veterumque sententiarum verus & unicus promus condus. Uterque enim horum *Herophilum* primum doctrinam de pulsibus accuratiorem in artem introduxisse ait, quamvis ille etiam Praxagoram nominet. (*) Alios celeberrimos auctores, &

- - *Qui-*

(*) *Liber de Puls. initio.*

- - Quibus Phœbi chorus assurexerit omnis,

nunc jam prætereo.

Maneat igitur laus illa *Hippocrati*, non omnino nunquam eum pulsum observasse, sed pro symptomate præternaturali eundem ipsum habuisse fateamur: id enim ex dictis, ni fallor, abunde patet: de naturali vero, de quo nunc egimus, pulsu, ejusque attributis ac conditionibus ipsi constitisse, nemo adhuc fuit, qui firmo ejus rei allato argumento evicerit. Quamvis enim ex illo loco, quem ex *Prorrhet. II.* affert *Bellinius: Deinde manibus tum ventrem, tum venas attrectantem minus falli convenit quam qui non attrectavit:* conjicere aliquis posset, saltem hic pulsum naturalem intellexisse *Hippocratem:* mihi tamen secus videtur. Agit enim ibi de cognoscendis erroribus in diæta commissis, quos dicit vix ulla arte posse certo deprehendi, quamvis manibus ventrem & venas attrectantem minus falli

 con-

contingat. Ubi an non venas vere sic dictas intelligat, dubium esse potest, ex earum enim intumescentia & duritie multo certius forte quam ex arteriarum pulsu nimiæ cibationis argumentum quis petat.

Quæ omnia non in eum finem affero, ut vel *Hippocratis*, vel *Bellinii* laudibus quicquam detraham: cui utrique lubens assurgo & ego; quin & pietatem hujus, & propensum in istum animum probo. Omnino enim dedisse hoc affectui videtur vir doctissimus, quo *Hippocratem* more, bene multis nunc in reliquæ vetustatis omnis contemtu & odio usitato, unice prosequitur.

Et quidem ipse ego artis parentem magni quoque facio, non tamen cum quibusdam eum & omnia perspecta habuisse, & nunquam fefellisse, patior mihi persuaderi, cum aliter se rem habere, assidua ejus lectio me doceat. Scripta sane ejus saluberrimis præceptis

&

& obſervationibus refertiſſima, quemvis æquum lectorem in admirationem trahunt, ſed viciſſim etiam, ſi fateri volumus, quod res eſt, in anatomicis eum fuiſſe maxime rudem, & ex phyſiologicis parum ipſi conſtitiſſe, nemo poterit negare. Cum autem pulſus doctrina ad hanc claſſem pertineat, quis miretur, eum hic quoque aliquid latuiſſe? omitto Pathologica, quæ, etſi obſervationibus conſtent, quam tamen ſæpe ſint imperfecta & levia, alias oſtendetur.

De cetero poſtquam tanta diligentia in *Hippocratis* aliorumque notitiam pulſuum inquiſivi, operæ pretium fore judico, pauca quædam commemorare de Anglo quodam *Dawido Abercrombio*, cujus *de variatione & varietate pulſus obſervationes* anno MDCLXXXV. Londini prodiere. Hunc perexiguum libellum ex propriis potiſſimum obſervationibus natum eſſe, perſuaſum cupit. Duplex autem tractatio eſt, prima de variatione pulſus ſecundum clima, tempus, temperamentum, ætatem, diætam, paſſiones

ſiones animi & morbos. Altera de varietate pulſus inſcribitur, agitque de inæquali ejus micatione, cum celerioris, tum fortioris, aut languidioris in digitos incurſus ratione; de interrupto pulſu: de intenſo & remiſſo; quæ ipſi loquendi formula eſt, (id vero eſt frequenti & raro) profundo porro & ſuperficiali, ſubſultorio, tremulo, erratico. Quæ nomina ut medicis ſcholis fere ignota ſunt, ita difficultatis plurimum adferunt. Id vero ipſi evenit nimio ſtudio latinitatis, quod ut non quidem damnandum, potior tamen eſt rerum & doctrinæ, facilitatisque habenda ratio. Etenim ſtylo utitur perquam eleganti, & fere *Celſi* æmulo, ad ipſa vero, quæ tradit, præcepta ſi reſpicias, maxima diverſitas occurrit. Vereor enim, quantamcunque etiam experientiam jactitet, non tamen exſpectationi & eventui reſponſuram, ſive inſcitia, ſive præſumptio nimia fuerit errandi occaſio. Quis enim ei adhærenti credat, in Gallia atque alibi ſenibus ſævientibus ventis trepidare quodammodo pulſum, aut a ſomno quidem liberiorem, interdiu vero adeo

adeo mutabilem esse, ut alia sit lucente sole, alia nubium objectu oculis subtracto, Diastoles ac Systoles reciprocatio.

Idem prope *de Nova Medicinæ Clavi, seu arte explorandi ex solo sapore Medicas plantarum ac corporum quorumcunque facultates*, quam huic opusculo subjunxit, judicaverim: nimirum ipsa etiam elegantius quam verius congesta atque descripta esse. Decipit etiam lectorem suum, cum in præfatione *novam hanc methodum esse, nullumque ejusdem apud ullum auctorem, vel leve vestigium se reperisse* ait. Etenim de saporibus *non pauci, nec paucis ante eum egerunt*, ut ipse in præfatione fatetur, quia primordia, & ea ipsa, quæ adfert, artis hujus nova fundamenta iam ante *Galenus* ipse tradiderat, opere illo ingeniosissimo *de Facultatibus Medicamentorum*. Cui Successores ejus assidue inhæserunt, & ut signa, e quibus virtutes Medicamentorum cognoscerentur, plantarum maxime, eadem, ubicunque fuit occasio, diligenter tradiderunt. Quæ causa fuit, cur

cur plagii noster publice accusatus sit, ut jam dicam. *Cæsalpinus* sane ex his multa, quæ huc plurimum faciunt, Libro *de Medicamentorum Facultatibus* tetigit: aliqua & *I. B. Montanus*: etsi hunc totum exscripsisse *Abercrombium*, quod alicubi proditum lego, nimis liberaliter de eo dictum esse, comperiam. Taceo alios, quorum permulti se in isto argumento prosequendo occuparunt. Præterea utroque opusculo nimis succincte de his egit, quam ut amplus inde fructus quis sperari possit: itaque tyronibus paucarum horarum labor erit proponendus, sed plenam certamque notitiam inde haurire poterit nemo.

F I N I S.

